


1620
A





97 A 2620

✓


FASCICULUS MYRRHÆ IN CAMPIS PALESTINÆ COLLECTUS:

Seu Sacrorum Locorum ibidem exi-
stentium (prout nunc sunt) brevi me-
thodo descriptio

Henrici Mel. Pauli Decani Genevensis.

P. F. JOANNE CANTIO SOLIK,
Ord. Min. S. Francisci Reformat: Almæ Pro-
vinciæ Bohemiæ S. Wenceslai D. & M.
Concionatore.

CUM FACULTATE ORDINARII.



BRUNÆ, Typis Joannis Francisci Svoboda, Anno 1716.

PERILLUSTRI DOMINO,
DOMINO
FRANCISCO
ANTONIO SALAWA
EQUITI de LIPPA,
Domino in Augest, Sacræ Cæsareæ
Regiæque Majestatis Consiliario Judicij
Provincialis,
Nec non
Regij Tribunalis in Marchionatu Moraviæ
ASSESSORI.
DOMINO DOMINO PATRONO
&
Mæcenati Munificentissimo submississime
dicatus.

Epistola Dedicatoria.

Quod olim Jacob Patriarcha de Bersabee in Aram proficisciens per somnum viderat, id ipsum mihi Gen. 28. v. 10. vigilanti evenisse arbitror, quanquam aliter. Egressus fuerat Jacob ex obedientia Patris, ideoque (ait Lyranus) in via accepit divinum oraculum; non minus ego ex obedientia Patris Superioris mei Colendissimi, Observandissimi, ad Sacra Palestina Loca iterum atque iterum projectus sum. Venit ille ad quendam locum, v. 11. quem Doctores hebræi, Catholici ajunt fuisse montem Maria, ibi enim Abram avus suus obtulerat Iсаac filium suum. Veni & ego in montem Maria, cuius pars & collis Genes. 22. Cornelij. & Cap. cont. est mons Calvariae, ubi verus Iсаac Patris æterni imperio in Ara Crucis oblatus est Sacrificium pro peccatis. Jacob ille ^{1.} vidit in somnis scalam stantem super terram, que Gen. 28. v. Scala significabat gradus generationum, per quos Christus secundum carnem descendit ab Abram, usque ad V. MARIAM. Etiam mibi scala visa est, cuius gradus secundum Cornelij cit: sunt variae Christi virtutes, ac præsertim quatuor: 1. humilitas in nativitate, quod sacratissimum mysterium mihi saepius venerari licuit in Nazareth, quam immaculatae Conceptioni Ius de legit unigenitus DELparæ filius 12. Lyr. in C. ut;

litis. 2. Paupertas in praesepio, cuius exuvias deosculari mihi concessum est in Bethlehem. 3. Charitas in progressu vi-
Art. 10. v. tæ, quā plurima Palestinae loca Christus, pertransiit bene
38. faciendo & sanando omnes oppressos à diabo-
lo. 4. Obedientia in passione quam revereri fas erat in
ad Philip. monte Calvarie, ubi Christus factus est obediens us-
2. v. 8. que ad mortem, mortem autem Crucis. Deni-
Gen.C.cit. que Jacob evigilans erexit lapidem in titulum dicens : Si
v. 20. &^{21.} fuerit Dominus mecum, & custodierit me in
via per quam ambulo, & dederit mihi panem
ad vescendum, & vestimentum ad induendum,
reversisque fuero prosperè ad domum Patris
mei: erit mihi Dominus in DEUM, &c. *Enim*
Joan. 14. verò tu mecum in via fuisti Domine, qui es via, veritas
v. 6. & vita, qui intellexisti cogitationes meas de lon-
gè, semitam meam, & funiculum meum inve-
Ps. 138. v. stigasti, & omnes vias meas prævidisti. *Custodisti*
2. &^{3.} me in via, ô Custos hominum. Quoniam cu-
Job. 6. v. stodivit me angelus tuus, & hinc euntem, & ibi
20. Jud. 13. v. commorantem, & indè hoc revertentem. Tu
20. Ps. 103. v. qui educis panem de terra, aperis, tu manum
14. tuam, & imples omne animal benedictione, dedi-
Ps. 144. v. sti mibi & das in dies sub speciebus Eucharisticis Panem cœli.
16. Joa. 6. v. Panem Angelorum ex quo pane quicunq; manduca-
48. verit, vivet in æternum. Tuo ducatu tertio jam rever-
sus sum prosperè in domum Patris mei, Alnam videlicet Fra-
trum

trum Min: Provinciam Boëmia. Quid igitur retr*Psal. 115.
v. 12.*

buam tibi Domine pro omnibus quæ retribui-
sti mihi? erigam tibi in titulum, non quidem cum Jacob
Lapidem, verùm Fasciculum myrrhæ, quô te olim elogiō spon-
sa in canticis compellavit: dicens: Fasciculus myrrhæ
dilectus meus mihi inter ubera mea commora-
bitur. Fasciculum inquam myrrhæ, quem interpolata
annorum trieteride in Saceratissimis Terræ S. Locis messui, &
præsentem colligavi in libellum, quem ipsum bisce ergo in ti-
tulum, & in perpetuum grati animi monumentum; Hoc
fasciculò inquit Cornel. supra cit: S. Franciscus. S. Antonius
aliisque complures ad tantam humilitatem, patientiam, &
sanctitatem evaserunt, ut merito de ipsis illud Eccl: dici pos-
sit: Hi sunt homines magni virtute, nihil haben-
tes & omnia possidentes. Omnes isti in gene-
rationibus gentis suæ gloriā adepti sunt, & in
testamentis stetit semen eorum, & filij eorum;
quos inter & Te recensere dignum & justum est, Perillu-
bris Domine FRANCISCE, ANTONI SALAWA Eques
de Lippa, &c.

*Eccl. 44.
v. 3.
2. Cor. 6.
Eccl. Cap.
cit.*

Mæcenas Faventissime, Patrone Gratiissime! ad Te
mea jam convertitur Oratio, qui ne Te degenerem tantorum
Patrum probares Filium, sed cum nomine Francisci & An-
tonij etiam omen hæreditâsse comprobares, juxta agnatam
Tibi erga germanos, Divi Patriarchæ Francisci filios pro-
pensionem, & benevolentiam, beneficentia Tuâ fecisti, ut

bic *Fasciculus Myrrbæ* (*Sacrorum locorum ut nunc visuntur descriptio*) characteribus expressis typographycis odorem suum spargeret in universum orbem litterarum, non quidem mutuatum à filiorum incultorum fragrantia, quæ nulla est, sed illum quem salvator mundi Palestinam olim incolens, quasi myrrha electa dedit svavitatis odorem.

Eccl. 14.
v. 20.
Prov. 10.
v. 1.

Patres Tui spirituales Franciscus & Antonius, gloria in generatione indubie adepti sunt sapiente filio laetificati; dum Te Regiae Majestatis Consiliarium, Jadicij Provincialis, nec non Regij Tribunalis, in Marchionatu Moraviae Assessorem suspiciunt Dignissimum, ut vel motivahæc sola sufficerent Tibi Perillustris Domine, Libellum à me compilatum dedicandi. At at una me adhuc urget ad hoc ipsum ratio: quandoquidem sis Eques de Lippa, qui terminus è moravico in latinum idioma versus Tilia interpretatur. Quemadmodum Arbor bæc brachia latissimè explicat, gratam diffundit umbram, infestas arect pluvias, odoriferisque triumphat floribus: ita optimè ominatus sim Libello meo, si bunc Tibi Perillustris Domine dedicem quam Submississimè Tiliæque Iuæ Fasciculum myrrbæ appendam, nullus dubitans brachiò nroque excipiendum, gratam repertum umbram, qui coloribus non verborum, sed typothericis Sacram adumbrat Palestinam, Eadem bæc Arbor infestas Criticorum arcebit pluvias si suis myrrbæ Fasciculum sociari patietur floribus odoriferis, Tilia altissimas radices agit, tantè que

que sublimius extollit ramos, quanto profundius dimittit in
terram fibras, eò altior quò profundior, ità enim-
verò quò Tu de Lippa Perillustris Eques dignitate es altior,
eò humilitate es profundior, ut confidenter adeò humili fra-
ter minor confidam fore, quod myrrha Palestinæ humili me-
thodò per me in Fasciculum colligata, in Campo tuo genti-
litio eò altiores ager radices, quò omni animi submissione Ti-
bi à me consecratur humilius. Dignare igitur dextrò ocul-
lo Mæcenas Faventissime bunc Fasciculum Myrrhæ in
Campis Palestinæ collectum, inter ubera tuā patere commo-
rari! id est: de principatu tui pectoris (verbis S.Ber-
nardi Te alloqui liceat) nec ad horam patiaris avelli
amara illa omnia, quæ pro Te (descriptis in locis)
pertulit semper in memoria retinens, & assidua
meditatione revolvens, quò possis dicere & Tu: Fa-
sciculus myrrhæ dilectus meus mibi, inter ubera mea commo-
rabitur. Ex his Tibi interdum poem salutari amaritudi-
nis, ex his rursum suavis unctio consolationis; hæc Te eri-
gent in adversis, in prosperis reprimunt, & inter læta tristia-
que vitæ præsentis via regia incidenti tutum præbebunt
utrobius ducatum, hinc inde mala imminentia propulsan-
do; quod meritis & intercessione Divorum Francisci &
Antonij, eorumque asseclarum Loca præfata longajam an-
norum serie incolentium suffragijs ad Patriam perveniens,
videas civitatem Sanctam Jerusalem novam, &
audias

Apoc. 23. audias vocem magnam de Throno dicentem : Ecce ta-
v. 2. bernaculum DEI cum hominibus , & habi-
Ibidem tabitat cum eis. *Quod ut finaliter Tibi eveniat , in-*
v. 3. *cessanter gratitudinis ergo Divinam Majestatem depreca-*
bitur.

Perillustris Dominationis
Tuæ

Humillimus & Devinctissimus servus

Fr. Joannes Cantius Solik,
Franciscanus.

Facultas Reverendiss: P. Vice - Com- missarij Generalis.

Cum opus, cui titulus *Fasciculus Myrrhae in Campus Palestinae collectus: seu Sacrorum Locorum ut nunc ibidem conspicuntur brevi Methodo descriptio à Ven: Patre Joanne Cantio nostrae Provinciæ Reformatæ Bohemiæ elaboratum duo ex nostris Theologis perlegerint, & publicâ dignum Luce existimaverint; nos ad majorem DEI gloriam ut Typis mandari possit facultatem facimus, si ijs ad quos spechtat bene vilum fuerit. Datum apud S. Franciscum Transtyberim, die 24. Febr. 1714.*

Fr. Deodatus à Roma Vice-Commissarius
Generalis.

Facultas Adm: Reverendi Patris Minister Provincialis.

Utopusculum, cuius titulus est: *Fasciculus Myrrae in
campis Palestine, &c.* à Ven: Patre Joanne Cantio-
Solik, Ord: Min; S. P. Francisci Reformat; Provinciæ Bo-
hemiae Prædicatore collectum, & à duobus Provinciæ
præfatae Theologis revisum & approbatum typis man-
detur, facultatem impertior. Actum Brunæ in Conven-
tu nostro S. Mariæ Magdalenæ, die 28. Januarij Annō
1714.

Fr. Wolfgangus Forel, Minister
Provincialis.

200

Atten-

Approbationes Theologorum Ord: Min: S. P. Francisci Reformatorum.

Attentè perlegi Opusculum , cujus Titulus est : *Fasciculus Myrrhae in Campis Palestinae collectus*; seu, *Sacrorum Locorum*, *ut nunc conspiciuntur, brevi methodo Descriptio*; à V. P. Joanne Cantio Solik , Ord: Min: S. Francisci Reformat: nostræ Provinciæ Bohemiæ Alumno, & actuali Concionatore , tum ex probatis Authoribus , tum propriæ experientiæ Documento (postquam ternis vicibus præfataam Sacram Terram invisiſſet) congeſtum, Cùm verò Orthodoxæ Fidei, bonisque moribus in nullo adverſetur ; imò non tantum legentibus ad piam Redemptoris nostri Passionis contemplationem deseruire, sed etiam illuc peregrinantibus pro varia directione utilis esse possit: Dignum æſtimō, ut prælo ſubjiciatur. Dedi in Conventu Brunensi, ad S. Mariam Magdalenam, Die 28. Januarij Anno 1714.

*Fr. Mansuetus Förſchan, Ord: Min: Ref:
SS. Theol: Lector, S. p. t. Guardianus ibid.*

Opusculum, cui Titulus : *Fasciculus Myrrhae, in campis Palestinae collectus*; seu, *Sacrorum Locorum*, *ut nunc ibidem conspiciuntur, brevi methodo Descriptio*: à Ven: Patre Joanne Cantio Solik , Ord: Min: S. Francisci Reformat: Prædicatore, tertio è Terra Sancta reduce, compilatum revidi. Quod quia ſinè errore contra Fidem ac bonos mores, Loca Sacratissima, in quibus Mysteria Redemptionis nostræ peracta ſunt, ſuccinctè velut in Speculo nobis exhibet ; ac ad ea nedum corporaliter, ſed & pia mentis pervagatione inviſendum viam ſternit: idcirco ut, ad augendam pretiosiflammam, maximè erga amariffimam Passionem Salvatoris nostri JESU Christi, in copiosum Fructum Fidelium, Luci detur, dignum censeo. Datum Olomucij ad S. Bernardinum 24. Januarij, Anno 1714.

Fr. Josephus Forſter, SS. Theol: Lector, nec non Sacrorum Canonum, ac Controversiarum Fidei, actualis.

Pro-

Protestatio Authoris.

Quoniam emanavit Decretum S. D. N. Urbani VIII. 1631. die 5. Julij, nè admittantur elogia Sancti, vel B. absolutè, & ea, quæ cadunt super mores, & opinionem cum protestatione in principio, quòd illis nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fidestantum sit penes Authorem. Ego pariter ut filius genuinus S. Matris Ecclesiæ protestor, si quæ in tali materia refero, ea me velle habere non majoris certitudinis, præterquam vult S. Mater Ecclesia Romano-Catholica: cuius iudicio & authoritati, me, meumque præfens opusculum, plenissimè subjicio.



JO(2

PRÆ-

PRÆFATI^O

Ad Benevolum Lectorem.

Multū difficilem, plū tamen utilem rem aggredior, dum de Sacris Palæstinæ locis tractare intendo. Difficilem, tūm quodd multa ex S. Scriptura accepta, in eorum explicatione assumantur; tum propter locorum SS. mutationem; adeò enim pleraque mutata novimus, ut nec pristinæ formæ vestigium servare videantur; imò plurimum nec reliquiæ habeantur; tum demùm propter discrepantiam Authorum, qui de his scripserunt. Nec mirum, alij etenim scripserunt, ut viderunt; alij ut audierunt; alij qui majori diligentia, & visa, & notata scripserunt; propter locorum tamen, ex mutatione temporum, varietatem, sèpè discrepantiam ostenderunt.

Propter tantam igitur & temporum, & Authorum varietatem, cùm fideliter tractare intendam, rem difficilem aggredior. Minùs me tamen difficultas terret, si bene pensetur utilitas: cognitio enim sacrorum locorum in Palæstina existentium plurimum conducit, tum ad alia, tum ad S. Scripturæ intelligentiam, omnibus quidem, præfertim tamen viris Ecclesiasticis, & Verbi DEI Præconibus apprimè necessariam. Ad hoc, ut quis (dicit S. Greg:) Divina mysteria percipere, & veraciter ostendere valeat, opus esse, ut priùs historiæ radicem figat, & post, fructus Spiritus per signa, & allegorias proferat. Annon visio, & exacta locorum sacrorum cognitio ad utilissimas & jucundissimas meditationes, materias præbeat, quibus anima

anima fidelis, cælestium rore gratiarum impingatur, Dilæcto suo Sponso JESU unitur, & in ejus amorem incenditur. D. Hieronymus de S. Paula, S. Palæstinæ loca peregrante, sequentia testatur : *Me audiente jurabat, cerne re se oculis fidei Infantem, pannis involutum, vagientem Dominum in præsepio, Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, M̄ trem Virginem, & Nutritum sedulum, Pastores nocte venientes, ut viderent Verbum, quod factum erat : Herodem savientem parvulos interfectos, Ioseph & Mariam fugientes in Ægyptum, &c.* Idem Divinô auxiliô sæpè sæpius ijs evenit, qui vel illa loca sacra piè visitayerint, vel ab alijs elucidata legerint. Mens mea est, duntaxat de ijs agere in præsenti, quæ proprijs oculis vidi, & diligentí indagine consideravi, & quæ ab alijs communiter in hac calamitosa temporum conditione visitari consueverunt, quæ autem, ut desiderabam videre non potui, aut vera relatione non accēpi, libens prætermitto.

Et quoniam veraciter, quantum dederit Spiritus sanctus, scribere proposui, præter propriam experientiam, non solum veterum, sed etiam recentiorum Doctorum sententias, quas videre potui, in medium adducam, præsertim eorum, qui in his S. Locis pluribus annis commorati sunt, plus enim creditur uni oculato testi, quam auraliatis decem, ut habetur in Jure. Utor igitur S. Scripturæ authoritate, S. Ecclesiæ Doct: S. Hieron: qui in his S. Locis plus quam 40. annis commoratus est, quidem eo tempore, quo Palæstina in eodem ferè statu erat, in quo erat tempore Christi : Patris Bonifacij Ragusei nostri Ord: Theologi, in Concilio Tridentino Apostolici Prædicatoris, S. Montis Sion per annos novem Præulius, post Stagni Episcopi : Adrichomij, Mallei, Quaresimi. Et qui-

veritati studeo, simplicibus verbis utor: quæ enim veritatē
(ait Seneca) operam dat oratio, incomposita debet esse, & sim-
plex. Et Princeps Apostolorum: Unusquisque sicut ac-
cepit gratiam in alterutrum illam administrantes. Non
enim mendacijs illuminari debent S. Loca, nec ad sui re-
commendationem falsis fabellis indigent: si verò aliquan-
do quid adjiciam, aut aliorum Authorum traditionibus
non consentiam, id non alio fine me acturum potestor, ni-
si ut in lucem veritatem producam; illi enim illo tempo-
re, ea quæ, & quomodo viderunt, scriperunt, me verò
mutatio rerum & temporum, mutare traditiones docet,
& jubet: idque non solum propter dissidentes curiosos,
qui ad has partes veniunt, sed etiam propter pios fideles,
qui simplici traditione non contenti, maiorem eorum
quæ de locis sacrī afferuntur, requirunt evidentiā, illi
ut faciliū traditiones contemnant, hi verò, ut quanti fe-
renda sint sacrala loca, quantūmque eorum visitatio meri-
toria, perswasum habeant.

Cæterū erunt fortassē, qui hoc meum opusculum
minūs probabunt, quod plerāque ex majorum traditio-
ne habeam: hos remitto ad insignem illam S. Hierony-
mi Ecclesiæ Doctoris sententiam omnium catholicorum
ore probatam. *Traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fi-
dei non officiunt ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt.*

Quicunque ergo Christi sanguine abluti, & Christianum
ab eo nomen gerimus, atque si nomini Fides respon-
deat, & vita à veritate non dissentiat, grata animi pietate
sæpè ea recolamus Loca, quæ Passionis Christi memo-
riam salubriter nobis ingerunt, & ad quæ hoc opusculum
nos manu ducit, fidei, mentisque nostræ oculis, Eundem
DEI Filium, quasi ante nos præsentem inspiciamus scilicet
Paschali

Hieron:
28. ad Lu-
cium.

Passionis:
Epitome.

Paschali Cænâ, in cænaculo Sion peractâ, in horto Geth-
semani progressum, præ imminentium afflictionem an-
gustia, orare, & sanguinem sudare : mox à scelerato Ju-
da, à Judæis ut agnus à lupis, inter clamorum, armorum
que strepitus truculenter capi, vinciri, trudi, & ad do-
mum Annæ duci; ibi alapâ cædi: deinde ad Caiphæ pala-
tium trahi, inibi falsè accusari, damnari, conspui, velari,
palmis, pugnisque percuti, ac varijs modis illâ totâ nocte
illudi, & affligi : manè per urbis medium ad Pilati ædes
rapi : hinc ad Herodis palatium abduci, iterumque accu-
sari, ab eo sperni, illudi, ac morionis instar alba veste in-
dutum per aliam civitatis viam, ad palatium reduci: ibi
denud multorum criminum accusari, nudari, dirè flagel-
lari, purpurâ indui, spinis coronari, variè derideri, con-
spui, vellicari, alapis, & arundine percuti ; sicque tracta-
tum populo ostendi, ac morti adjudicari : deinde gravi
cruce oneratum, acerbis & cruentis gressibus, populo
omni spectante, per magnam civitatis partem, pérque Ju-
diciariam Portam, extra urbem per arduam, & petrosam
viam, furenti militum violentiâ trahi, tundi, urgeri, & ad
Calvariæ montem perduci: ibi rursùs nudari lassum fel-
le potari, ipsoque meridie cruci affigi, affixum in altum
erigi: in Cruce autem per tres horas suspensum convi-
tijs, modisq; varijs irriteri: sitientem aceto & felle potari:
deniq; eum, qui unâ guttâ sanguinis mundum salvare po-
terat, per quinque vulnerum rivos, suam toto cum san-
gvine vitam nobis effundere dignatus est. Egredimini
(itaque fideles) cum filiabus Sion, & videte Regem Salo-
monem in diadematè quo coronavit eum Mater sua: vel po-
tiū sœva ejus noverca synagoga. Ipse Christus clamat:
O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est Thren. x.
dolor,

Cant. 9.

dolor, sicut dolor meus! Sed proh dolor! adamas durissimus la-
pis, hirci sangvine, ferrum ignis calore emollitur, pectora
verò Christiana, plusquam adamantina, & ferrea, Christi
nec sangvine, nec ejus erga nos amoris igne emolliuntur; & DEI Filium rursum sibimetipſis crucifigunt,
ostentui habent, conculcant, & sanguinem testamenti
pollutum ducunt, *Qua de causa? illa est, minima, aut*
fortè nulla Passionis Dominicæ recordatio. Nihil adeò
grave est, dicit S. Doctor Greg. quod non equanimiter toler-
retur, si Christi Passio ad memoriam reducatur. Parva enim
toleramus, si recordamur, quam dura verba, duriora ver-
bera, durissima supplicia pro nobis Ille passus fit, qui in
capite tulit coronam, in oculis velamen, in auribus con-
victia, in ore fel, & acetum, in facie sputa, & alapas, in ge-
nis vellicationem, in humeris crucem, in corde mæro-
rem, in visceribus concussionem, in corpore flagella, in
membris extensionem, in manibus & pedibus perfoſſio-
nem; denique à planta pedis usque ad verticem capitis, non
erat in eo sanitas, *Quam ob rem ignitis verbis, ad eum*
adamandum nos provocans S. Augustinus clamat: Inſpi-
ce vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimen-
tis, cicatrices resurgentis; caput habet inclinatum ad osculan-
dum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad ample-
xandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hęc quan-
ta sint cogitate, hac in statera vestri cordis appendite, ut totus
vobis figuratur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in Cruce.
In hujus proinde salutari Passionis contemplatione diu,
noctuque chare & amice Lector mane, & æviterne
vale.

Dire-

Greg.

Isaiæ 2.

S. Aug.

Directorium Itinerarij.

Et informatio de his, quæ observari in-
violabiliter debent ab his, qui in Terram
sanctam proficiunt volunt.

Si quis Divinâ inspiratione peregrinari velit ad S. Palæ-
stinæ loca, sequentia bene animadvertiset, & observa-
re studeat.

Primò. Factâ intentione, quod amore Salvatoris sui,
qui ea loca proprio sanguine consecravit, eò proficiunt
tendat, & omnes miseras, ac incommoda pro salute ani-
mæ suæ æquō ac patienti animo tolerare velit, procuret
sibi à Sede Apostolica, vel ab aliquo Nuntio Apostolico
licentiam in scriptis eò pergendi, & hoc intelligendum,
tam de V. Presbyteris fæcularibus, quam de Religiosis,
non nostri ordinis: Item de fæcularibus Laicis cuiuscun-
que statutis, & Religionis, seu conditionis, alias finè hac in
portu, quem tangunt, licetè à Commissario, vel Vice-
Commissario Terræ Sanctæ iter suum impediri potest. &
debet. Quod si quis dolosè, id est, non obtentâ requi-
sitâ licentiâ, eò navigare præsumeret, sciat se Excommu-
nicationis pñnam incursurum, à qua à nemine absolvî
potest, nisi à proposito desistat.

Secundò. Disponat domui suæ, familiæ, & substanciæ,
testamentum formando, & illud cui in Domino vi-
debitur consignando, si enim Domi quasi in seculo po-
siti, nesciamus diem, neque horam, quâ ex hoc mundo
simus vocandi, eò magis suspicari debemus, itineri nos
exponendo, in quo tot pericula in mari, & in terra, emer-
gere non ignoramus.

105

Tertiò,

Tertiò. Sciendum: incipiendo à portu, in quo te navi comittes, ut cum bona in auro bursa provisus sis, necesse est; quæ enim, & quomodo tibi parabis, ita comedes, salsum vel insulsum. Quapropter secundum conditionem, & tempus mensuranda bursa, quā possis non solum de almonijs tibi, & potu cum strato providere, sed etiam omnia tributa cum gabellis Portæ Othomannæ solvere; quod si velis cum Capitaneo navis de mensa convenire, hæc ordinariè cum naulo simul decem florenos germanicos per mensem constabit, hic ex charitate vel eleemosyna vivere sibi nemo persvadeat, tam per mare, quam per terram, exceptis nostris Conventibus, & Hospitijs, in quibus non solum ordinis Nostri Religiosi, sed etiam alij cujuscunque statūs Europæi, etiam Accatholici cum omni charitate recipiuntur, viætu, potu, & lectori tamdiu accommodantur, donec bona occasio detur, iter ultius prosequendi.

Quartò. Ditiores optimè sibi consulerent, si certam summam apud bonum & fidum amicum in primo portu, vel ubi placeret, deponerent, quæ serviret pro liberatione ex sclavitate, si fortè in aliquam incidenterent. Quantum autem requiratur pro liberatione ex sclavitate Tunisana, Tripolina, vel Algerina, certitudo tunc habetur, quando à portato eò requiritur, experti enim in hoc concordare nunquam potuerunt, ab isto 400. ab illo 500. &c. requisiti fuerunt floreni, plus tamen Algerini requirunt alijs; à liberato audivi Venetiano anno 1710. 13. Junij navigando per mediterraneum ex Cypro, qui existens de vilissima conditione, 400. tamen exponere debuit.

Quintò. Qui scit legere, provideat sibi de itinerario, sive de Libello tractante de Terra sancta, ac locis, & itine-

re

re in via, simili huic, vel contentetur istò, vix enim tam succinctè & compendiosè tractantem inveniet.

Sextò. Diligentiam adhibeat associare se alteri peregrino experto, & præsertim nostri Ordinis, qui ultrà aliam consolationem, servire potest in spiritualibus, quando si bi placuerit.

Septimò. Moneta sit aurea, uti Ducati vulgò Ungari cujuscunque Principis, dummodo sint justi ponderis, non sint tamen turcici, vel duploni gallici. Argentea non servit nisi raro gallica & hispanica.

Octavò. Procuranda est vestis talotenus longa, simplicis panni, coloris nigri. Biretha violacei, vel alterius coloris, sed non viridis; hic enim designat Machometi cultorem, cinctura similiter ex panno, veltela; pilei non sunt amplius in usu.

Nond. Cùm Accrì S. Joannis, sive Ptolmaidam attigeris, cùm tantum unius diei, vel noctis restet navigatio, consultum est, ut hìc in nostro Hosptio omnia ad redditum Hierosolymâ consignes, utì Strapontum seu madrazam, coopertum, & omnia alia, quæ tibi non serviunt pro Hierosolyma, nisi hæc jam consignata essent in Cypro, prout sèpè fit; nam omnes Peregrini in Cyprum redeunt ad portum Civitatis Arnicæ, seu Salinæ propter provisionem per mare faciendam, cùm omnia leviori pretio reperiantur; si verò velis usque Ramam tua portare, duplēcē facies solutionem; scilicet Jaffa seu Joppen per asinum vel equum portando, & iterum in redditu reportando. In Jaffa non syadetur, propter humiditatem nimiam, consignatio, nisi ultrà mensē Hierosolymis morari non velis.

Decimò advertendum. Cùm primum locum Terræ
10(2 S. atti-

S. attigeris, qui est Joppen vulgo Jaffa (nisi forte Sidonem alias Saidam contingeret appellere) clam accepta terra devotè osculetur gratijsque DEO actis pro superatis maris periculis, recitetur unum Pater noster, & Ave Maria pro lucranda plenaria Indulgentia. Notandum verò, si in hoc, vel alio Terræ S. loco contingeret peregrinum ex hac vita decedere, vel quocunque aliò modò iter suum Hierosolymam impediri, in hoc ipso loco particeps fieret omnium Indulgentiarum Terræ S. Locis concessarum, ac si omnia personaliter visitasset: De hoc fuisus infra.

Undecimò. Si in aliquo portu requisitus fueris à Domino Procuratore de denario, absque omni resistentia ei demonstres, saltè tantum, quantum pro solvendis tributis sufficit; hac autem de causa scire cupit; subintrarunt enim aliquoties inopes, vel improvisi, pro quibus eleemosynis Terræ sanctæ satisfacere debuit Procurator, quod magnum est præjudicium.

Duodecimò. Cavendum nè coram Turcis, Mauris, Janizeris, aut Mucaris sive conductoribus pecunia tractetur, sed si quid necesse est, consulat in omnibus nostros Patres, aut Turcimannum, qui vice procuratorcm in Jaffa agit, hic etiam Ramam pro tuo denario de animali fideliter providebit, nam hinc nemini peditare licet.

Decimò tertio. In via præfereenda moderata modestia, corde potius orandum, quam motione labiorum: cum conductoribus non misceantur verba, aut joci tractentur, consultius est te simulare eos non intelligere, & te quasi aliquam indispositionem patientem ostendere, ut eorum importunam evites conversationem, frequenter enim ab eis requirereris de cibo & potu,
qui

qui tamen NB. multum prohibitus est portari , tam à Jaffa , quām Rama usque Hierosolymam : si tamen occultari potest modicum aliquid de pane , haustūque &c. præsertim Ramā pro vera necessitate . catdissimē sumatur. nam hinc 6. milliaria germanica , & ultrā , sinē alia mora proficiscenda , nisi aliquando apud S. Jeremiam animalia adquentur , tunc & tu bonam aquam ibidem bibere poteris. Si tamen nimiā siti premaris , per interpretem rogare poteris declinationem ad cisternam , vel allationem aquæ.

Decimō quartō. Si in aliquo nostro Hospitio consultum fuerit , ante ingressum Hierosolymam , ut deponatur pecunia , nihil retractandum , ad tuum enim redditum fideliter conservabitur , & ex integro reddetur. Quod si aliqua sanctuaria in S. Civitate coēmere volueris , cautione datā , tam ex una , quām altera parte de solvendo ex deposito , quod placuerit , in Procura accipere poteris à nostris Maronitis : aliter aliquid emere , non consulo , nam decipieris.

Decimō quintō. Si esset in via aliqua incurσio , aut denariorum expensio , interpres rogandus est , ut expendat , vel expendi faciat per Mucarum , quod necesse est , affsecurando de satisfactione Hierosolymis.

Decimō sextō. Tam in isto itinere , quām in S. Civitate Turcis , Arabibus , & Mauris locum in via cedes , nē cædaris. Itēm prope illos non spuatur , quod & in Ecclesijs nostris , Græcorum , Armenorum , Surianorum , &c. observandum ; relictisque ante portam calceamentis Ecclesiæ ingrediantur , nisi petulantia timeatur , tunc sub brachijs portentur. Si aliquid curiosi occurrat , nimia admiratio devitetur , præsertim per civitatem incedendo,

quasi obiter in ea contenta intueantur , nec quidquam irrideatur, nè risus dolore misceatur. Pectus non percutiatur, aut digitii manuum more nostro complicentur: sit autem omnis gloria devotionis tuae ab intus, non ad extra, genua tamen flectere decet, & terram osculari. & ubi Indulgentia concessa unum Pater noster, & Ave recitetur, ubi commode fieri potest genuflexus, sin secus iter prosequendo ut supra, oretur. Quæ autem loca Sanctuariorum inhabitantur à Turcis, eò admissus (datâ assignata discretione) non genuflectatur, sed stando oretur consuetum Pater, & Ave, Indulgentiam, applicando pro se, vel promortuis.

Decimò septimò. Cum quo, quæ, & quomodo visitanda sint Sanctuaria intra & extra S. Civitatem, à Patre vel Fratre Religioso pro servitio tuo destinato plenam instructionem habebis, cui & ad nutum pareas, hujus enim obligatio est, te comitando ducere, quanto secundius potest; & si necesse sit, Guardiam more solito adhibere, hæc tamen sine expensis fieri non potest.

Decimò octavò. Super omnia cave, nè in his sacris locis graviter DEUM offendas, qui te particulari suâ gratiâ huc incolumem perduxit, visitaréque, ac videre ea fecit, quæ multi desideraverunt videre, & non potuerunt; multum enim temerarium est DEUM mortaliter offendere, sit in quocunque loco; multò tamen temerariùs, ubi Redemptionis nostræ peracta sunt mysteria.

Decimò nonò. Absolutis Sacrorum Locorum visitationibus (quod intrâ mensim, nisi etiam ultrâ communem consuetudinem alia visitare velis, perfici potest) antequam à S. Civitate diicendas, DEO, B. Virgini, Angelo Custodi, ac sanctis Patronis redderre coneris gratias, sacrâque peractâ confessione, Cælesti Viatico pro redditu

te

te munias. Itèm à Reverendissimo P. Gvadiano pro benedictione, quæ solemniter in Ecclesia S. Salvatoris datur, supplicabis; eidémque Patri Procuratori, tuo Reverendo P. Servitori, ac omnibus alijs Venerandis Patribus, & Fratribus pro benigna receptione, ac charitativa accomodatione humiliter gratias agas, nec in vanum facies, si meum fecutus fueris consilium, nimirum ut (quod DEUS inspirabit) aliquid eleemosynæ deponas in Procura, pauperes enim in patria tua semper habebis, quibus benefacere poteris, Terram autem sanctam vix aliquando in vita habere poteris, cui aliquid boni immediate per te præstare poteris. Quòd si ultrò non feceris, à nemine ad hanc præstandam obligaberis.

Vigesimò. Rediens divino favente auxilio in patriam tuam, directè non intrabis domum tuam, sed conaberis introire domum DEI, redditurus Altissimo gratias pro tantis favoribus, pro præservatione, & incolumitate in anima & corpore, per terram, & per mare. Nec temulum jactes fuisse Hierosolymis, sed magis procures boni catholici exemplarem ducere vitam, fecutus consilium Domestici Hierosolymitani D. Hieronymi, qui scribens Rustico Monacho, inter alia adjunxit sequentia: *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse glorianendum est.* Nec unquam è memoria dimittas S. Palestinæ loca, laudes in eis mirabilia ejus, pro tua, mea, & omnium salute completa.

PROE-

PROE M I U M.

POste aquam in Vinea, ubi Torcular crucis
Redemptionis thesaurus, & humanae salutis mo-
numenta recondita erant (Hierosolymam intel-
ligo) jam parvulæ stabulâssent , vulpeculæ , sed lupi ra-
paces, fortissimi cum Leopardis leones, id est , Arabo - Sa-
raceni , Machometi sacerdotes, sedem fixissent Cælestis
Agricola, in vineæ suæ electæ ultra quid desit , talem effe-
cit & adhibuit Custodem, non qui somno tepesceret, sed
semper vigil excubaret, atque latrunculorum affuetus se-
dule prospiceret , & fortis propulsaret, Seraphicum vi-
delicet P. N. Franciscum : Anno etenim 1219. hic sanctus
Seraphico inflammatus ardore, vigil, & impavidus , præ-
dictam à Christo electam , & unicè dilectam vineam, id
est, Loca Sacra, Redemptionis nostræ thesaurum , sicut
fideliter custodire cœpit, ita deinceps Fratres suos peren-
niter indultæ custodiæ deputavit, ut non immerito dice-
Cant. 1. re possit : *Posuerunt me Custodem in venis : vineis Engaddi.*

Hanc vineam, scilicet Hierosolymam , ejusque loca
adjacentia, prout hodie extant descripturus, brevitati In-
dulgens, veritati locum tribuam; nam sic credo sapiens
excusabit, purus verò veritatis amator faciliorem cogni-
tionem habebit.

Hierosolyma igitur, Civitas à DEO electa Sancta ,
& gloriofa, fundata in montibus sanctis , erat Urbs perfe-
Thren. 2. eti decoris, gaudium universæ terra. Quæ circa annum
à mundo condito , bis millesimum vigesimum tertium ,
tempore Abraham, à Melchiadech Rege condita, heb-
raicè Salem, græcè verò Solyma nuncupata fuit, atque ab
eo

eo 50. annis possessa. Ità Aranda, Procardus, & Adrichomius : quorum authoritas tradit, deñ à Jebusæis occu-
patam, & in possessione habitam annis 824. qui eam in
tantum muniérunt, ut Davidi Regi oppugnaturo, per de- *Joseph de*
spectum, cæcos, clados solummodò & mutilos in ea col- *bello Ju-*
locârint, hos ad hostem arcendum sufficere, insinuantes. *daico L. 2.*
c. 18:
At David ope Divinâ, eâ potitur, expulsis Jebusæis Eam
arce munivit, ac Regni sui caput fecit, Hierusalémque no-
minavit. Succedens verò Salomon, & alij Reges, illam
valdissimis portis, muris, turribus, itè templô, palatijs,
præclarisque ædificijs ità muniverunt, & exornârunt, ut
totius orbis inter urbes miraculum æstimaretur. Hoc
splendore floruit annis 477. velut paradisus terrestris, in
éaque commorabantur hominum prope centum, &
quinquaginta millia. Verùm ob impietatem habitan- *Joseph L. 1.*
tium in ea, divinâ ultione ità funditus eversa est, & per *Strabo*
annos 70. desolata, ut Sion quasi ager araretur, & Hierusa- *Geograph:*
lem quasi acervus lapidum esset, & mons templi, quasi excelsa *L. 16.*
Michæa. 1
Sylvarum.

Post hæc templô exstructô, & civitate nonnihil re-
parata à Judæis ex Babylonia reversis, annis 63. inhabita-
ta fuit : Noëmias verò validô murô, turribus &c. eam
cinxit. Postmodùm à Machabæis ornatior, & fortior
facta, annis 524. gloriösè claruit. In universum, à Davi-
de (prætermisssis annis, in quibus non regnârunt Judæi)
præsuerunt sanctæ Civitati de populo judaico Reges, &
Duces XLV. annis 908. Nam usque ad babyloniam ca-
ptivitatem intercesserunt anni 355. à reditu usque ad Ma-
chabæos anni 520. Ab his usque ad Christum 113. Sed
cum Hircanus cum suo fratre Aristobulo de regno dimi-
caret, Judæa subjugata est Romanis, quorum Imperato-

res præficerunt illis Reges , & Præsides. Primus Rex erat Herodes major Ascalonita , natione Idumæus, ejusque Regni anno 32. ex MARIA Virgine sinè macula originali concepta , conceptus de Spiritu Sancto natus est JESUS, æterni Patris Filius , qui salutem nostram ibidem operari dignatus est, atque inde per Apostolos emanatio Evangelij per universum orbem divulgata.

Sed in vindictam occisionis Christi, post ejus Passiōnem anno 38. eam Titus & Vespasianus circumdederunt, ac Judæos ex omni Tribu festum Paschæ ibi celebrantes velut in carcere concluserunt. Quō tempore tanta populum in Hierusalem obfessum famis invaserat austerioritas ut nec essent herbæ, quibus vesci & refici possent. Ex stabulo fimum quærebant in cibum, collectoque stercore vescabantur. Sed eā magis ac magis invalecente, nec ab humanis se temperarunt carnibus, jam enim calceamentis, cingulisque, ac insuper corijs, quibus scuta tegebantur, detractis, consumptis, veterisque fræni laceramentis magnō pretiō divenditis, fame improbab̄ compellente, eō immanitatis redacta est, ut mulier quædam nobilis, ac præpotens, Maria nomine, Filia Eleazari, à seditionis jam exuta vitæ subsidijs, ut sibi consuleret, fame rabidâ, quam patiebatur, impulsâ, infantem, proprium filium occiderit, quem comedura mox assavit; cujus nidore allecti milites, qui sibi viatum quemcunque poterant, raptu quæreabant: cùm ejus pervasisserent domum, partem, quæ supererat afflati filij intuiti, detestati facinus, abiēre. Cùm esset repleta tota civitas hujus sceleris famâ, unusquisque ante oculos sibi cladem illam præponens, tanquam hoc ipse admississet, horrescebat. Ita Josephus cit; 12. c. de bell. Judaico.

*Joseph. 3.
belli Jud.
c. 14.
Idem c. 17.
& 18.*

Non

Non hīc ad memoriam revocare gravabor, singula-
rem tunc erga suos fideles electos DEI providentiam,
prout fecit cum Noë ante diluvium, & cū Loth in exci-
dio Sodomorum: Itā fecit Hierosolymis cum fidelibus *Athana-*
Christianis; bienniō etenim antequam Titus & Vespasianus eandem subverterent Urbem, admoniti sunt à Spi- *sius Euseb.*
Cæsarien-
ritu sancto fideles, atque discipuli Christi, ut relictā urbe *sis.*
ad regnum se transferrent Agrippae Regis, qui tunc Ro-
manis fœderatus fuit. Hi egressi, omnia, quæ ad cultum
nostræ Religionis, vel fidei pertinere videbantur, secum
aufferentes, in has regiones transtulerunt. Urbs verò
illa toti mundo admirabllis, facta est sepulchrum mortuo-
rum, nam juxta Nicephorum, intestinis cædibus, fame,
peste, & gladio, undecies centena millia Judæorum in ea
periérunt: centum mille captivi: triginta unō denariō
venundati: sedecim millia Alexandriam ut mancipia mis-
si: duo millia à Tito Romam tracti, & in spectaculis pu-
blicis, bestijs lacerandi, objecti sunt. Hic regnum cessa- *Nicephorus*
vit Judæorum, & nunc usque serviunt dominis alienis, *3. Histor.*
qui Regem JESUM suscipere noluerunt. Ipsaque urbs
à Tito funditus diruta est, exceptis tribus turribus appelle-
atis; *Hipicum, Mariamme, & Phasellum*, civitatisque parte
muri, quæ has turres ab occidente cingebat, ut esset ca-
strum Romanis militibus, vel ut posteris indicaret po-
tentiam Romanorum. Post annum verò 65, rursùm Ju-
dæis rebellantibus Aelius Adrianus Imperator, multis eo-
rum deletis millibus, turres illas cum muro pariter destru-
xit, & terram sale aspersit. sicque adimpletum est Salva-
toris oraculum: *Non relinquunt in te lapidem super lapidem. Luc. 19.44*
Hic denuò civitatem exstruens, montem Calvariae, & Se-
pulchrum Christi Domini, quæ priùs extra muros erant,

Jo(2

inclu-

inclusit, & in fronte portæ, quæ Bethlehem respicit, suam
in marmore sculpsit, significans Judæis, Romanæ eos
subjacere potestati.

Porrò annō à Christo Nato 636. à Saracenis in Ægypto
Wilhelmu pto regnabitibus capta, & annis 463, possessa fuit. Dein
L. s. Sca- 1099. à Christianis, Duce Godefrido de Bulion, qui &
lies ad I. primus urbis muros transcendit Idibus Julij, summā vi ex-
ran. Card. pugnata, feriā sextā horā nonā, quā & Christus mortuus
Lotharin- est. Tantaque per civitatis plateas, ac in ipso templo,
gum. omnium, qui ad eam confluxerant, facta est strages & san-
gvinis effusio, ut nisi per interemptorum corpora transitus
pateret, ac talo - tenus in occisorum sanguine graderentur,
ipsi etiam victores Godefridi populi, cruento maderent.
Hi urbe potiti, Loca Venerabilia, Christi præsentia, Pas-
sione, Resurrectione, Ascensione, & Spiritus S. missione
sanctificata, à fidelibus, qui tunc Hierosolymis residui
erant, sibi ostensa, nudis pedibus, mira devotione septem
diebus circuiérunt, & deosculati sunt. Sed proh dolor!
anno 1187. die 2. Octobris feriā sextā dissidentibus inter
sechristianis Principibus, à Salahdino Ægypti Soldano,
cum hoc pacto recepta, ut liceret Christianistantum effer-
re, quantum quisque suis humeris posset. Hic eam te-
nuit annis 330. Annō autem 1517. à Selimo Turcarum
Imperatore invasa, qui eam obtinens Cazemoberech, seu
Godsbarich, id est Urbem sanctam nuncupavit. Post tan-
tas antem hujus Urbis dejectiones, inseulta tamen cine-
ribus Christi viventis, & morientis monumenta peren-
nant; nam licet ad tempus Cœlestis Agricola Elestam
Hierosolymam quasi deserere vius fuerit, ejusque obli-
viici, at postmodum misertus est ejus dejectæ fortis. Si-
quidem suâ propitiante gratia, destinavit ad eam incolen-
dam.

dam Seraphicum Patrem & Patriarcham nostrum S. Franciscum annô 1219. qui suæ conversionis à sœculo, 13. anno, delato Ordinis regimine Fratri Eliæ Tusciae Ministro, Syriam versus iter capessit, duodecim sibi assumptis comitibus, nimirum.

Fratre Petrô Catanij, Barbarô Sabbatinô, Leonardô, Illuminatô, &c. cum quibus ad portum Anconitanum pervenit, nitens cum auxiliaribus copijs intrare Damatam, inter quos erat sancta quædam æmulatio exorta, qui libet enim ex Fratribus sese intrudebat in socium, & Martyrium. S. Pater nolens ullum (si rejiceretur) relinquere desolatum, nec quemquam scandalizare in acceptione personarum, si has præ alijs assumeret, dixit: Fratres Dilectissimi, & filij charissimi! nè quisquam conqueratur se privatum, & alterius invideat electioni, non tam meam esse volô, quam DEI electionem, & protinus advocatione parvulo dixit: *Per os infantium parvulorum sape Dominus suam inducavit voluntatem; nec dubito eandem modò, per hunc parvulum significaturum.* Interrogatô parvulô, an Divina esset voluntas, ut omnes fratres transfretarent? respondit ille: non esse. Quæsivit ulterius quinam deberent assumi? indicavit voce, & digitô undecim eorum. Cum his attingens Vir Sanctus Nilum, exercitibus Christianis disfvidebat pugnam, nam ait: *Dominus mihi revelavit, non prosperè successurum Christianis;* Illi verò sancti dicta cavillantes, initô præliô, 6000. cæsi sunt Christianorum. Tandem Soldanus edictum publicari fecit, ut qui Bisantium, seu Constantinopolim caput afferret, ducatum ei se daturum, spopondit: S. Franciscus hoc minimè territus, assumpto Fratre Illuminato, obvias habens duas oviculas, dixit: confide Frater: nam in nobis illud Evangelij completur:

Matth. 10. pletur: *Ecce Ego mitto vos, sicut oves in medio luporum.* Ingressus
proinde Terram sanctam, Damiatæ Ægypti Soldano Christi fi-
Jacobus de dem prædicavit, qui in aspectu viri DEI, per dies aliquot ipsum,
Vitriaco. sibi & suis Christum prædicantem, attentissimè auscultavit, nam
Sanctus cum tanto fervore prædicavit, ut pyram accensam spo-
ponderit se ingressurū, séq; ex illa illæsum evasurum, si Machume-
tismi Doctores, pro sua fœta idem præstare vellent; Quin imò
illis recusantibus addidit, se libenter intraturum, dummodò pro-
mitterent se Christianam fidem suscepuros, cùm se illæsum ab
igne viderent. Ad quem Soldanus: haud credo aliquem ex Do-
ctoribus meis pro fide igni se committere: viderat enim quem-
dam ex Sacerdotibus suis, seniō, & autoritate graviorem, statim
hoc audito, indè se subduxisse. Proinde metuens sui populi re-
bellionem aliquam, cum omni reverentia S. Patrem ad Christiana-
rum remisit castra, dicens: Ora pro me, ut legem DEI illam,
& fidem, quæ magis sibi placet, mihi revelare dignetur. Porro
quod Soldanus propter metum populi antè non præstitit, post
aliquot annos suppedit, nam missis ad se duobus Fratribus, Sacrum
Baptisma suscepit; S. enim Pater Deum summè precabatur, ut hanc
animam salvam faceret, pro qua lucranda tantas peragravit terras.

Annō igitur 1219. S. Pater (secundūm Annales Ordinis) pe-
ragratâ Syriâ, accepit possessionem montis Sion, & hic plantavit
primum Conventum, ex quo annō 1291. expulsi Fratres a Sarace-
nis fuerunt: fautoribus verò Rege Roberto, & Reginâ Sanciâ Si-
ciliae eò reversi sunt; ibique sine disturbio habitabant ad annum
1561. At male fatus Santon fomentatus à perfidis Hebræis, qui
non poterant tolerare catholicos religiosos tali loco, ut est mons
Sion, gaudentes: ex parte cavit Decretum Soldanicum pro ipsis
expellendis, sperans se aliquot burlas denariorum ab eis acceptu-
rum; quod cùm obtinuisset, à furente populo fuerunt foras tra-
eti, se séque ad civitatem retraxerunt; quibus (patrociniō Baili,
seu Residentis Inlyto - Serenissimæ Republicæ Venetianæ)
consignata est cum Conventu Ecclesiæ SS. Salvatoris, dicitur prius
Columna, hic locus ante tribulabatur à græcis Georgianis sed
de hoc, suò loco agemus fusius, ad quem antequam per-
veniamus. Sit

TRACTA.



TRACTATUS I.

In quo annotantur Loca Indulgientiarum per viam Hierosolymam versus.



Omitante Christo Duce, qui nobis adest in omnibus bonis operibus, cum egressi fuerint pij peregrini de terra & cognatione sua, ut inviserint, & adorent Loca sancta: *ubi steterunt pedes, Domini: pervenient (sed rectâ viâ rarissimè: ad Castellum Jaffa, seu Joppen. Duxi rarissimè, ordinariè enim, si portum ad civitatem Arnicę in Regno Cypri tangunt, inde navigant 190, millaria italica, germanica verò 47. & dimidium ad civitatem Accri di S. Giovanni, seu Ptolomaidam. de qua sit*

Pſ. 131. v.

CAPUT I.

De Civitate Accri, seu Ptolomaida.

PTOLOMAIDA indè nuncupata, quia à Ptolomæo condita, una ex quinque præcipuis Philistinorum civitatibus, juxta Abulensem Accaron dicta, & verius, nam defacto aliquam retinet nominis derivationem, scil: Accri. Ante annos 1187. fuit urbs fortissima, & ampla, de qua fusè Adrichomius. At anno 1291. cum potentissimo exercitu sexaginta scilicet millium equitum, peditū verò centū & sexaginta millium, eam aggressus Soldanus Ægypti, obtinuit 4. Maij Deo permittente, propter scelera, & dissensiones habi-

A

tato-

tatorum. Ibi nostræ Religionis Fratres, diverso mortis genere affetti, interierunt. Inter alia, erat etiam solemne Monasterium Clarissarum, quarum Abbatissa (refert D. Anton) zelô castitatis servandæ, sponso suo Christo, tintinnabuli sonō convocatis Sororibus, inter alia, hæc ad illas ait : *Decor fæminarum, plerūque viros capere solet, tollamus incentivum hoc, ego exemplō præibo, quæ immaculato sponso immaculatæ cupiunt occurtere, operis immitentur Magistram*; quibus dictis acceptâ novaculâ, nasum sibi abscidit: reliquæ intrepidè, idem fecerunt. Saraceni monasterium pervadentes, spectaculô hōc visô, omnes crudeliter trucidârunt. Hujus Urbis magnificentiam manifestant Residentiarum ampliarum vestigia, quæ tam anno 1707. quam 1710. curiosius lustravi, ubi præter alia ingressus sum ædificium affabré factum ante paucos annos à quodam Turca prædivite, propter quod opus, jussu Soldani capite est plexus, quasi per hoc, aliquam rebellionem fomentâset, & se fortificare voluisset; sic plerūque præmiantur Orientales majorum, & splendidiorum ædificiorum cultores. Modò struttura remanente licet indemolita, servit ea tantum pro caprarum, ovium, &c. receptaculo. Potiori ex parte habitatur ruderata civitas à Turcis, Mauris, cum aliquibus, & suo Episcopo, Græcis, Armenis, & nostris Maronitis, id est orientalibus Catholicis, Præsidente Cady, seu Judice, cum Consule Anglo-Holando-Flandrico, meo tempore Marzug, unus harum trium nationum, vir ab omnibus nationibus multum æstimatus. Item Vice-Consul Gallicus cum paucis mercatoribus.

Patres nostri curam animarum, annexam habent Parochiam. Reverendi Patres Carmelitani Discalciati, propter Arabicas invasiones, frequenter ex Monte Carmelo fugientes, huc se recipiunt, habentes pro se assignatam Capellam, ac unam honestam cellam cum culina. Oines supra nominati cum Consule, Vice-Consule, & mercatoribus habitamus in una Residentia in quadro posita, campum habente amplum, pro camelis, & equis recipiens, quò etiam omnia venalia portantur. Hic in nostro hospitio, omnes recipiuntur ad Terram sanctam proficentes Peregrini Europæ Christiani, esto non Catholicî (idem intelligendum de omnibus locis, ubi nostri Franciscani adsunt per totam Palæstinam, &c.) quibus

quibus tam præter cibum, quām potum, cæterāque, omnis alia exhibetur charitas; siquidem ab omnibus Christicolis, Terræ sanctæ, & DEI amore, ac locorum facrorum conservandorum zelō, elemosynæ præstantur. Hic consultiūs pro Terra sancta non servientia consignantur R. P. Nostro Præsidenti, cùm omnes hue redeant Hierosolymâ Nazareth invisuri. In hujus civitatis portu providetur de commoda navigatione à R. P. Præsidente, vel ab Illustrissimo Domino Procuratore, Jaffam, seu Joppe versūs. De quo.

C A P U T II. De Castello Jaffa.

Jaffa, seu Joppen distat per mare Ptolomaidâ milliaribus duodecim cum dimidio, quæ per navim ordinariè perficiuntur intra unam noctem, vel diem. Est autem Joppen Castellum, habens portum mediterranei maris, primus locus Terræ sanctæ. Quapropter peregrinantes Hierosolymam, hic ingressi nostrum hospitium (erat olim domus Simonis Coriarij, apud quem S. Petrus demoratus est) genuflexi Terram sanctam, quam manu ex littore prehendere possunt, reverenter pariter & devotè osculantur; Deumque bonorum omnium Largitorem adorant, eique gratiasagunt, quod post tanta terræ, marisque pericula eos incolumes ad Terram sanctam, veteribus Patribus promissam, salvos perduxerit. In hoc cubiculo potest dici missa, apparatum asservante nostro Turczimano, seu interprete, qui & Vice-Procuratorem agit. Hic dicendo: *Pater noster, & Ave Maria, omnium remissionem consequuntur peccatorum.* Imò si Peregrini propter bella, Arabum latrocinia, aut alia impedimenta ulterius iter prosequi non possent, eò ipsò omnium indulgentiarum alijs sacris locis concessarum, ac si ea visitassent, sicut participes. Ità de hoc Pontificum legit Bullam, & annotavit Illustrissimus Nicolaus Christoph. Radzivilius, & alij. Porrò non est intelligendum de illa Jaffa in Galilæa, quam expugnavit Vespasianus, occisis in ea quadringentis suis Pere-millibus: sed in Iudea, de qua hic sermo. Hanc volunt multi grinat, esse fundatam à Japheth filio, natu minore Noë. Alij fabricatam Qures. T. ante Diluvium. Ad hunc portum Sidonij in Ratibus advehabant pag. 24. Jo-

*Seph. de ligna Salomoni de monte libano pro templo fabricando. Huc
bell. Jud. descendit Jonas, & se navigio imposuit Tarfum, ut fugeret à facie
L. 3. Domini. Hic habitavit Tabitha à S. Petro resuscitata. Hic de-
3. Reg. 5. nique idem S. Apostolus vidi descendere de cœlo (habitando in
Act. 9. 36. domo Simonis Coriarij) animalia immunda, per quæ ipsi signifi-
Act. 10. 12. cabatur, ut non scrupulizaret in recipiendis gentilibus ad fidem,
nam post visionem subito inventi milites, missi à Cornelio gentili,
qui eum vocabant in Cæsaream pro eo baptizando. Multoties
fuit possessa à Christianis, ut tempore Constantini, item à Frideri-
co Imperatore. Ultimò à S. Ludovico Rege Franciæ, sed toties
actoties unvâla à Saracenis; hodie præstant obedientiam Portæ
ottomannicæ.*

In hoc loco providetur à Vice-Procuratore nostro omnibus
advenis religiosis, & peregrinis de cibo; potus autem vini biba-
tur ex proprijs allatis canavetis seu lagenarijs, quæ & evacuentur,
nam vinum ulterius portari non admittitur. Idem interpres vel
Tarczimanus providebit mucarum seu ductorem cum animali Ra-
mam versùs. In hoc etiam loco, præter expropriationem victua-
lium, incipit aliqualis expropriatio denariorum; oportet enim,
præter vecturam, quæ constat unum imperiale, & Jeniczer alte-
rum, pro una persona addere pro primo solvendo tributo septem
aureos.

C A P U T III.

De Rama, & suis memorabilibus.

*R*ama dicta antiquitus Arimathia distat à Jaffa duobus millia-
ribus germanicis bonis, quæ est patria nobilissimi Decurio-
nis Josephi, qui cum Nicodemo Corpus Domini de cruce depo-
suit, de quo S. Lucas: *Et ecco vir nomine Joseph, qui erat Decurio, vir
bonus, & justus, hic non consenserat consilio, & actibue eorum, ab Arima-
thia civitate Iudeæ.* Hæc civitas fuit multò major, quam hodie,
& extendebatur versus Gaza: fuit pariter hic natus Nicodemus,
ex cuius domo factum est Oratorium nostrum, in quo concessa
est Indulgentia 7. annorum. Magnitudo hujus civitatis antiquæ
colligi potest ex nostro Conventu, quem post civitatem fabrican-
do

do Fratres reperiērunt fundamenta pulchra ex petra viva, columnas & alia rudera; proinde hucūque vel ultra extendebat antiqua civitas. Inhabitatur hodie à Turcis, Mauris, & Græcis, qui officiant Ecclesiam dedicatam S. Joanni Baptiste. Est & alia quadraginta Martyribus dicata, habens pulchrum campanile, sed nunc in Moscheam versa. Habitant ibidem hodie dum aliqui mercatores gallici cum paucis maronitis. Campi hujus territorij producunt cotonem, granūmque omnis generis, & herbas cum peponibus magnis, vina optima, raro autem propter calidum clyma bibuntur recentia. Hic Patris Præsidentis nutui se oportet subjicere, illi enim incumbit invigilare de secura Caravana, seu itineris securitate, quæ si non adsit, non molestetur viator, sed patienter mōram ferat, DEUM laudando pro commoditate, & omni charitate, quæ sibi sine expensis exhibetur.

C A P U T IV.

De Lydda.

Accep̄tā securā occasione cum Caravana iter continuandi, in diversis locis occurunt notanda, in quibus diversæ acquirentur indulgentiæ, licet ipsaloca non attingantur, quibus eæ concessæ sunt. Occurrit primò locus Lydda, distans Ramā quasi semi-tertio germi. milliari. Hæc antiquitū dicta est Diopolis, in qua S. Petrus sanavit in Nomine JESU paralyticum Æneam dicens: Ænea sanat te Dominus JESUS Christus, surge & sterne tibi, Act. 9,34. & continuo surrexit. Hic S. Georgius martyriō affectus est. Hodie extat miserabilis villa, quæ ad sinistram à prætereuntibus videtur, templum etiam in ea reperitur, sed majori ex parte destrūctum, quod officiatur ab aliquibus Calogzeris Græcis ibi habitantibus; qui etiam se se jaçtare solent de præsentia, & asservatione Corporis S. Georgij Mart. eorum tamen opinioni, nulla fides adhibenda est; siquidem Romani capite, & Genuenses gloriantur corpore. Nihilominus concessa est 7. an. Indul.

C A P U T V.

De Castello Boni Latronis.

Non longè ab hoc loco sequitur Castellum, pulchrum habens prospectum, ex parte dirutum, à dextris super collem ædificatum, & communiter appellatur boni Latronis castellum S. Dis-mæ, qui pendens ad dexteram cum Christo, & pænitens factorum illis verbis : *Nos quidem digna facili recipimus.* Et misericordiam à Christo poscens : *Memento mei Domine, cùm veneris in Regnum tuum :* Paradysum obtinuit. Hic secundùm communem traditionem, vigilabat ad exsoliando viatores : Alij tradunt, quòd tantùm inde dicatur, quia fideles extruxerant ecclesiam in ejus honorem, eligendo illum pro Patrono, vel defensore contra latrones. Fir-mius igitur credo Ravisio, & Pipino, qui tradunt, quòd hic Dismas fuerit ægyptius, & in illis territorijs exercuerit latrocinia ; cùmque B. Virgo cum JESULO & S. Josepho fugeret in Ægyptum, & à latronibus capta fuisset, hic latro puerum JESUM intuens, ejusque amabilitatem contemplans, socios induxit, ut Eum cum MARIA Matre sua, & S. Josepho liberos dimitterent, quod & factum est. Hic de foris unum Pater & Ave recitantibus 7. an. concessa est indulg. nam eò introire non possumus. Idem intelligendum de omnibus Locis sacris, quæ accedere est difficile.

C A P U T VI.

De Castello Machabæorum.

Ad manum sinistram prospiciendo ad distantiam jaētus unius lapidis à supradicto castello, conspicitur locus dictus Machabæorum, ubi inter certas olivas apparet Ecclesia modo à Turcis in Moscheam versa. Hic locus nuncupabatur Cane, à Castello sic dicto, quod erat Salomæ Patris septem Fratrum, quorum nomina : Aber, Mœchire, Judas, Aia, Aret, Jacob, & Machabæus ; hi omnes diverso mortis genere, & crudelissimo pro patrijs legibus affecti martyrio, cum Matre sua Antiochiæ vitam temporalem sub Antiocho Tyranno finierunt. In quorum honorem hic erat Ecclesia, & 7. ann. Indulg. concessa.

CAPUT

C A P U T VII.

De Anathoth Patria Jeremiæ Prophetæ.

ITer prosequendo occurrit Patria S. Jeremiæ Prophetæ Anathoth dicta, ubi reperitur Ecclesia sat ampla, & de quadratis lapidibus affabre exstructa, tota integra, excepta superiori parte. Hæc est Patria hujus sancti Prophetæ, terra Benjamin, fuit enim Anathothites juxta S. Hieronymum, qui est hodie viculus tribus Hierosolymis distans milliaribus gallicis, id est tribus bonis horis: antiquitus civitas, modò misera villa. Apud hanc Ecclesiam nostri Religiosi habitabant usque ad annum 1491. sed à barbaris invasi, novem eorum occisi sunt: quapropter hic locus derelictus est. Fontem tamen ductilem habet, viatoribus multum pro refrigerio favorabilem. Ecclesia vero servit pro caprarum, equorum, & camelorum astuantium respirio. Septem an. Indulg. recitantibus Pater, & Ave.

*In Prologo
sup. Hieremiam.*

C A P U T VIII.

De Valle Terebinthi.

Hierosolymam versus à S. Hieremia, post superatum notabilem ascensum descenditur ad vallem Terbinthi nuncupatam, in qua ad singulare certamen provocatus David prostravit in funda & lapide, superbum Goliath Gigantem ut S. notat Historia: In cuius beneficij Israëlitico populo, à DEO collati memoriam 1. Reg. 17. S. Helena erexit Conventum, prout & rudera testantur fabricæ ad Rippam Torrentis Cedron ibidem transeuntis. Ecclesiæ nec vestigium appetit. Indulg. tamen 7. an. perseverat.

C A P U T IX.

De via ulteriori S. Civitatem versus.

AScendendo per montes bono milliari germanico, se prodit cum tantis terræ, marisque periculis requisita, tantis peregrinorum suspirijs desiderata, olim Populo Israëlitico, & sanctis Patri-

Patribus promissa S. Civitas Hierusalem. Quo cordis affectu eam intueantur defessi Peregrini, nemo tunc alteri explicare valet, sed invicem se se subinde intuentes, dulcibus suis lacrymis, ad copiosiores fundendas, unus alterum provocat; quilibet desideraret descendere ex jumento, cui insidet, & genibus flexis terram osculando, & lacrymis rigando, à DEO electam civitatem sanctam, in eaque contenta sacratissima loca Redemptoris sui vestigia venerari: sed à longè licet salutare, descensum verò non admittunt fessa, æstu, siti, & inassuetis epiphisijs, aut alia indispositione debilitata membra, mucari etiam seu conductores cum militaribus guardijs non sinunt. Verumtamen præter hæc sancta desideria, & cordis gaudia accedit spiritualis animæ refectio, nimirùm: Plen. Indulg. intuentibus S. civitatem, dicentibus unum Pater, & Ave, concessa. Denique perveniendo, & intrando per Portam Bethlehemitanam (quæ & Ramensis) declinant ad finistram, tam nostri Religiosi, quam omnes Peregrini Europæi, etiam non catholici, & divertunt ad Conventum nostrum S. Salvatoris nominatum, ubi nostri Fratres cum gudio ad salutandos occurrunt, oscula figunt, & dulcibus defessos, vel ægros (quod jam finis laboriosi itineris) consolantur alloquijs, ac demum ad Ecclesiam deducunt, pro facienda Divinæ Majestati gratiarum actione. Deinde ad Reverendissimum Præsulem Terræ sanctæ Guardianum pro accipienda benedictione, quæ ab omnibus petitur cum genuflexione, vel profunda inclinatio, ac manū osculō. Post spiritualem refectionem, sequitur lassati corporis refectio, & cum ordinariè circa horam quintam Conventum ingrediantur, ante cenan pro cuiuslibet placito haustus cum offa in apotheca, vel refectorio præbetur, interim Hospital tabula accomodatur, & cæna sequitur.

TRACTATUS II.

In quo describuntur S. Loca intrà S. Civitatem situata, usque ad Carcerem S. Petri.

CAPUT

C A P U T I.

De Conventu, & Ecclesia S. Salvatoris.

Peragratā Syriā Anno 1219. S. Pater Noster Franciscus (ut su-
prā memoravi) obtinuit pro se & suis Fratribus possessionem
montis Sion, in quo Conventum plantavit, ex quo Anno 1291. à
Saracenis expulsi Fratres, reversi sunt eō denuò operā Regis Ro-
berti, & Sanciæ Reginæ Siciliæ, habitārūntque hīc confidenter
usque ad annum 1561. qui existendo extra muros, non valentes ul-
trā supportare gravamina, & persecutions, instigantibus etiam
apud Portam fantonibus, ab Hebræis pro eorum expulsione fo-
mentatis, factum est, ut inde vi foras extracti confugerent ad Bai-
lum, seu Residentem Serenissimæ Republicæ Venetianæ, cuius
patrocinio, assignatus est illis hic locus, nimirum Conventus cum
Ecclesia sub titulo SS. Salvatoris. Erat imprimis locus difficulter
in habitabilis, fratres nihilominus in patientia eum possidentes
successu temporis resectorium. Infirmary, & Hospitariam, pro
Peregrinis extruxerunt, ita, ut ibidem Religiosi commodè inhabi-
tare queant quadraginta, & ultrā. Quatuor habent cisternas,
pluviales continent aquas. Prima ad lævam prope gradus ser-
viens omnibus Conventum ingredientibus. Secunda post Eccle-
siam ad cornu hospitariæ pro Refectorio, & Infirmary. Tertia
sub Infirmary pro lotione vestium. Quarta, quasi sub Reveren-
dissimi Residentia, quæ pro officina potissimum pistoria inservit.
Item tres hortulos, duo pro herbis culinæ inserviunt, tertius pro
floribus ad Ecclesiam exornandam. Situs ejus, positus est ad oc-
cidentem in loco eminentiori, ita, ut supra terracum, seu tectum
superius deambulantes (nam sic omnia ædificia extruuntur, ut
apta fiant pro spatiando, & animo recreando) quasi totam civi-
tatem intueri possint. Sicut autem ad Conventum, ita & ad Ec-
clesiam per gradus ascenditur; primò per portam inferiorem ferrò
obductam, post hanc sequitur quardia seu Custodia Jenitcerorum,
finè his enim, nec nos, nec Græci, nec Armenorum Conven-
tus securi possunt manere, propter exorbitantiam Turcarum, Ara-
bum, &c. Secundò prope ascensum graduum, fabricata est modò
gratiosa (parva licet) Ecclesiola, trium navicularum seu concavi-
tatum

catum permodum arcus, atrium habens, ubi horologium & lavatorium pro missa se abluendorum cum lampade continetur, pavimentum ejus marmoreum, sicut & Ecclesiae, sed diversi coloris, miro & affabri modô accommodatum.

Quinque in ea sunt altaria: Majus altare in medio repræsentat mysterium Sancti Spiritus suprà Discipulos in die Pentecostes descendenter. Ad dextram partem seu naviculam S. Thomae imponentis digitum in latus Christi. Ad sinistram Cœna Domini, totum accommodatum & assimilatum ad mysteria Montis Sion. Quibus Altaribus à Pio quarto communicatae sunt Indulgientiae Plenariae, sicut concessæ fuerunt Monti Sion, anno 1562. pro quibus lucrandis quotidie fit religiosa processio post Completoriorum cum Maronitis præsertim parvulis scholaribus, eorum filijs, quibus cibus præbetur in nostro Conventu tam diu, quamdiu scholam frequentant, quod ordinariè faciunt per sex annos.

Processio autem fit hoc modo: Officiator seu Hebdomadarius induit amictu cum superpelliceo & stola, duo Patres Cantores, frater Thuriferarius, & duo Scholares sunt vestiti togulis & superpelliceis, qui serviunt pro ceroferarijs. Supradiicti Cantores in choro jam paratis pro processione Patribus intonant: *Insuperma nocte Cœna*: reliqua chorus prosequitur, & itur ad altare. Cœna Domini in sinistro latere, quod incensatur ab officiatore: hymno finito duo parvuli versum canora voce dicunt: *Panem de calo, &c.* deinde officians orationem, *DEUS qui nobis, &c.* quâ finitâ dicitur ab omnibus unum *Pater noster & Ave Maria* pro lucranda indul: plen.

Deinde intonantibus *Exultet Orbis, &c.* itur ad altare S. Thomæ ad latus dextrum, & versu à parvulis dicto, *Quia vidisti me Thomam credidisti*, oratione dicta, & ut suprà *Pater, & Ave*. Incipiunt Cantores. *Veni Creator Spiritus*: & processio revertitur ad majus altare, quâ finitâ duo parvuli Litanias B. Virginis cantant Choro respondentem. Item ijdem *Tota pulchra es MARIA*. Item *JOSEPH fili David*: & *Si quare miracula*. Responsorijs, versibus, & orationibus finitis dicitur *Pater & Ave*, ut suprà. Deinde ab officiatore legitur materia meditationis, quæ durat tribus circiter quadrantibus. Parvuli accepta benedictione à suo Patre Magistro

ad

ad suas domus redeunt. Sunt & alia duo altaria prope januam Ecclesiae: sancti Patris Francisci, & S. Rochi. Item ad cornu epistolae imagines S. Antonij, & ad cornu Evangelij sancti Josephi valde elegantes: apud quodlibet horum altarium pendent argenteae lampades accensae: ad majus verò septem. Præter has ordinariè una candela ardet ad Icones S. Josephi, & S. Antonij diu noctuque aliquando plures à devotis oblatæ Maronitis. Ad istum Conventum, cùm sit principalis in hac Custodia, quia ibi semper (excepta visitatione) residet Reverendissimus Praesul seu P. Guardianus, omnes Religiosi, & Christicole Europæi (ut suprà dictum est) divertere tenentur, in quo eis omnia necessaria subministrantur sinè ulla obligatione, vel solutione.

C A P U T II.

De Lotione pedum Peregrinorum.

Postquam devoti Advenæ duobus vel tribus diebus requievunt, horâ Completorij præparatur aqua, diversis herbis odorifera, adornatûrque locus tapete in atrio Ecclesiae cum sedili desuper posito. Post Completorium ante processionem (nisi aliquod impedimentum alio tempore suaderet) procedunt Patres cum Reverendissimo ante Ecclesiam ad lotionem pedum, jam ibi expectantium Peregrinorum. Officians cum Cantoribus & scholariibus seu ceroferarijs indutus ut suprà, cum Cruce argentea desuper vexillô pendente cum insigni Terræ sanctæ; Reverendissimus præcigitur linteô, & cantatur Evangelium; quo finito Reverendissimus procumbit ad genua ante pelvim cum aqua jam præparatam: Cantores incipiunt *Lætatus sum.* Choro psalmum prosequente, Peregrinus accedens, solutis priùs corrigijs calceamentorum, ponit fessuper sedem, & pedem in aquam à Reverendissimo lavandum mittit. Lotione finitâ, & extersione linteô factâ super genua Reverendissimi pedem ponit, qui ab eodem devotè osculô honoratur. Deinde Officians & Cantores, ac tandem Patres ordinatè accedunt, prostrati que genibus, manu priùs Reverendissimi super pedem loti positam, deinde pedem Peregrini reverenter osculantur. Quibus finitis Reverendissimus dat accensam Peregrino

grino candelam in festo Purificationis B. Virginis in SS. Sepulchro
benedictam & sigillatam, quam suscipiendo osculatur manus Re-
verendissimi, levatus ex sedili.

Cantores versum præcinunt, officiator orationem, tandem
præcedente vexillo Crucis cum duobus ceroferarijs, intonatur
De DEUM laudamus; & fit processio per ambitum claustralem, Pe-
regrinus Officiatorem sequitur, eum Reverendissimus cum Baccil-
lo sui Præsulatoris minore: cum hoc jubilo introducitur Peregrinus
vel Peregrini ad Ecclesiam, pro quorum felici adventu Divinæ
Majestati gratiarum actoriæ per officiatorem cantantur orationes.
Tandem consueta pro indulgentijs lucrandis persolvuntur: Pere-
grinos ubi flectere debeant, & quando pro incensatione se levare,
& suas extingueret candelas, servitor eorum Religiosus semper eis
assistens, admonet, candelam sibi servat Peregrinus pro sua de-
votione.

C A P U T III.

De Loco Avete.

Pro commoditate temporis petitur licentia & benedictio à Re-
verendissimo pro visitandis intra civitatem sanctuaris: qui
assignatō sociō vel pluribus religiosis cum Interprete, qui eos du-
cunt ad primō occurrentem locum, in quo Christus post suam
gloriosam Resurrectionem apparuit tribus Marijs, dicens eis *Avete*.
Locus iste positus est inter nostrum Conventum, & S. Jacobum in
Trivio. Indulg. conceditur.

C A P U T IV.

De Ecclesia S. Thomæ.

Secundo occurrit visitanda S. Thomæ Apostoli Ecclesia, dire-
ctè posita à suprà specificato sanctuario, quamvis magis sita
sit intra Civitatem. Est mediocris magnitudinis, tota integra
excepta parte superiori, quæ aliquantum ruinata est. De hoc lo-
co omnium scriptorum concordat Authoritas, fuisse domum hu-
jus Apostoli: imò multi referunt rem prodigiosam, quod hujus
tem-

templi portam Turcæ obmuraverint, & quidem exinde, quia nulus (nisi esset baptizatus) intrare poterat, neque habitare, alias subitanè moriebatur. foris per unum Pater, & Ave, Indulg. Plen. acquiruntur.

C A P U T V.

De Ecclesia S. Jacobi.

Tertiò sequitur Conventùs cum Ecclesia S. Jacobi Majoris. Fratris S. Joannis Evangelistæ. Hunc locum scribit Bonifacius fuisse fabricatum ab Hispanis pro receptaculo Peregrinorum nationis suæ. Fundata est hæc Ecclesia in eodem loco, in quo S. Apostolus martyrio coronatus est, ad cuius veritatem, ad partem sinistram extructum est facellum, sub cuius altari notatur, ubi ejus Sanctum caput fuit amputatum, & est magna & nobilissima Ecclesia. Huc omni anno in vigilia hujus S. Apostoli adveniunt à S. Salvatore nostri Franciscani pro cantandis solemnibus Vesperis & Completorio, dièque sequenti celebrantur missæ privatæ cum una solemnii. Armeni vero Monachi S. Antonij Abbatis, qui illi Conventui & Ecclesiæ præsunt, post Divina nostros honorant cum una collatione secundum morem Orientalium. Hic Indulg. Plen. perpetua.

C A P U T VI.

De Domo Annæ Pontificis.

A Conventu S. Jacobi iter continuando ad Austrum, versus portam Sion à sinistris, per certum viculum ingrediuntur domum Annæ Pontificis, quæ nunc mutata est in Ecclesiam, cum quibusdam habitationibus servientibus pro fæminis Armenicæ Nationis viduis. Hæ omnia, quæ habebant, renuntiârunt suis Prælatis, & huc se dedicârunt pro manutenentia hujus sanctuarij, quibus à supradictis Religiosis panis & menestra sat miserè suppeditatur. Ad hanc domum per Portam sterquiliniam adductus fuit Christus ligatus, & à Pontifice examinatus; antequam verò ad audienciam admissus fuisset, stetit foris alligatus totus tremens

ad arborem olivæ, quæ usque ad hodiernum diem monstratur ab Armenis ibi officiantibus, de qua arbore particulas etiam distribuunt Peregrinis. Ut autem dubium tollatur, & ad miraculosam ejus conservationem (nisi forte hoc DEUS velit præstare) non recurratur, notandum, quod ex putredine radicum veteris arboris producatur alia, & sic corruptio unius, est productio alterius. In hac domo fuit dirè percussus Agnus mansuetissimus Christus à servo Pontificis nomine Malcho. Indulg. Plen.

Anno 1707. & 1710. ac 1713. prope hanc domum, vidi petram vivam muro insertam, quæ repræsentat fauces apertas: mysterium Armeni aperiunt dicentes: quod Christus transundo Bethphage Hierosolymam, acclamatus fuerit à turbis: *Rex Benedictus.* A Pharisæis autem hoc indignè ferentibus reprehensa, ut racerent; Dominus autem dixit, ut finerent eas clamare: quia si istæ tacerint, hi lapides clamabunt, & continuò inceperunt vociferare, inter quos lapides, & petra ista clamasse dicitur.

Lue. 19.

C A P U T VII.

De Templo Præsentationis.

Templum Beatissimæ Virginis MARIAE præsentatæ, fundatum est in Civitate ad partem Orientalem, contiguitatem cum porticu templi Salomonis tenens, & est valde magnum, totum plumbō tectum, modò autem à Turcis in Moscheam versum est. Præsentatio B. V. MARIAE inde nominatur: quia de ea Evodius Antiochenus Episcopus Apostolorum successor sic refert. *Trinum la cùm esset, in templo est præsentata, & ibi in sanctis Sanctorum traduxit annos undecim: deinde però per sacerdotum manus Josepbo ad custodiā est tradita, apud quem cùm mensis quatuor peregit (in Nazareth intellige) ab Arcangelo Gabriele latum illud accepit nuntium; perperit autem mundi lucem annum agens decimum quintum die 25. Decembris: finitis vero 40. diebus sui partus, hic se præsentavit volens ad implere Domini mandatum: ad quod non tenebatur concipiendo de spiritu Sancto.* Hic etiam morabatur illa S. Vidua Anna Prophetissa, quæ non recedebat de templo. Hic ille venerabilis senex, accipiens in ulnas suas JESUM, cupiens præ gaudio dissolvi, canebat:

Nunc

Levit. 12.

Nunc dimittis seruum tuum, &c. Fabricatæ autem erant à Salo-*Luc. 2.*
mone cellæ 90. circà templum pro Virginibus Deo sacratis, licet *Joseph.*
non tot Virgines continuò ibi habitaverint. Ad hanc Ecclesiam *Lib. 8.*
foris orantes lucrantur Indulg. Plen.

TRACTATUS III.

In quo describuntur memorabilia Loca,
distributa in S. Civitate, ad illam partem,
quæ antiquitus vocabatur;

Civitas Inferior

C A P U T I. De Carcere S. Petri.

Non longè à monte Calvariæ visitatur locus, appellatus *Carcere S. Petri*, quia in hoc S. Apostolus vincetus catenis duabus, ex mandato Herodis, custodiebatur à militibus, dein unâ nocte solutus ab Angelo, eductus fuit per Portam ferream, quæ dicit ad Civitatem. Hic locus defactò inservit pro incarcerandis, prout *A&J. 12.*
anno 1710. ibi conveni nostrum Maronitam, Joppensis hospitij inquilinum: monstratur etiam ibi visitantibus annulus muro insertus, ad quem ligabantur captivi. Locus est valde obscurus, & porta angusta, per quam intratur cum accensa candela. Fuit super hunc carcerem erecta ecclesia in honorem ejusdem S. Apostoli, prout defactò gradus ad eandem cum porta majori, & capella testantur. Sunt 7. an. Indulg.

C A P U T II. De Porta Ferrea.

Transito carcere S. Petri, pervenitur ad Portam ferream, per quam Angelus eduxit Petrum; præter mentionata, cùm nil notabile hic occurrat, cum silentio hanc transeamus. Acceptâ tamen 7. an. Indulg.

CAPUT

C A P U T III.

De Ecclesia S. Joannis Marci.

Ecclēsia hāc est S. Joannis Marci, unius de 72. Discipulis, cuius hāc domus erat. Et communis traditio concordat, cum Actis Apostolorum; quod S. Petrus liberatus ē carcere ad hanc domum venerit. *Venit ad domum MARIE, Matris Joannis, qui cognominatus est Marcus.* 7. an. Ind.

Act. 12.

C A P U T IV.

De Domo Zebedæi, Patris Joannis Evangelistæ.

Non longè à SS. Sepulchro, veneramur Ecclesiam mediocrem, formam Crucis repräsentantem cum multis picturis, & creditur fabricata esse à S. Helena, appellatúrque S. Joannis Evangelistæ: nam communis consonat traditio, Sanctum hunc, hic suum habuisse natalem, cùm domus fuerit paterna. Nec obstat, si dicas fuisse Gallilæum, nam & Christus, & MARIA fuerunt tales, & tamen Christus natus in Bethlehem, MARIA vero in Hierusalem. 7. an. Ind. hic concessa.

C A P U T V.

De Domo Simonis Pharisei.

Simon Phariseus, qui & leprosus dictus est, secundūm opinionem S. Bonav. Maldonati, & Toleti, habuit duas domos, unam Hierosolymis, & alteram in Bethania, de qua S. Matthæus, *Cum esset JESUS in Bethania in domo Simonis leprosi.* In altera S. Lucas testatur, Mariam Magdalenam obtinuisse à Salvatore remissionem peccatorum: *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Posita est in angulo civitatis inter Orientem, & Septentrionem prope Domum Herodis. Godefridus hic erexit Ecclesiam, visitantibus pariter eam, procurando Plen. Indul.

Matth. 26.

Luc. 7.

TUTA

CAPUT



C A P U T VI.

De Piscina Probatica.

Ad partem occidentalem Civitatis, ante portam S. Stephani paulisper declinando ad dexteram, cernitur piscina arida, latitudinis brachiorum seu orgiarum 30. circiter; longitudinis 170. & hæc est probatica, in qua adhuc reperiuntur duo arcus, reliquiae illorum quinque porticum, sub quibus se reclinabant infirmi, expectantes motum aquæ per Angelum, & qui prior intravit, sanabatur. Hic expectavit ille miser infirmus per 38. annos, & cum proprijs viribus sese in aquam mittere non valuisset ad motum aquæ JESUS commiseratione motus, eum sanavit. Porta *Joan. 7.* verò S. Stephani modò appellata: à Rege Salomone ercta fuit, & ab Eliasib Sacerdote magno restaurata. Vocatur etiam Bethesda, id est: Domus misericordiæ, quia hic misericordia à DEO praestabatur infirmis: Item *peculiaris*, quia erat vicina portæ gregis, per quam conducebantur greges pro Sacrificio in templo. 7. an. Indul. *Adrico-*
mius, &
Arsenius,

C A P U T VII.

De Domo S. Annæ.

Relicta hac probaticâ piscinâ, vertendo se ad dextrum latus, per viculum parvum, quantum solidæ manus iactus lapidis, pervenitur ad præclaræ architecturæ Ecclesiam, quæ ab omnibus scitur, & nominatur S. Annæ Genitricis B. V. MARIÆ. Sed proh dolor! est modò sub jurisdictione Santonum Turcicorum. Hic habitans hæc S. Matrona, in lucem edidit infantem, quæ futura DEI Genitrix ut omnium concordat authoritas. P. Bonif. cum Guilielmo, sic locum describit. Ad lævam est monasterium magnum, olim Sanctimonialium sub Tit. Conceptionis, & Nativitatis B. V. MARIÆ. Et adjungit Damascenus, stetisse hic Abbatissam cum suis Monialibus nigri coloris habitum gestantibus. Veneramus hinc p̄fissimè subterraneum locum natalis hujus cælestis Puellulæ, ad quem omni anno advenimus pro persolvendis Divinis officijs,

C

&



& missis celebrandis cum una cantata, sed voce submissa, & modesta. Hanc gratiam habui Anno 1707. sed ante medium noctem surreximus, & silentiosè discalceati eō processimus, custodias per omnes plateas priūs distribuendo, nē invaderemur à Genitceris contra nos tunc tumultuantibus. Ipse Santon hujus Sanctuarij vigilias agebat ad plateam templi Salomonis, ubi semper major Guardia Genitcerorum adesse solet, sed prædictus Santon non sine interesse vigilabat, nam omni anno bonam à nobis percipit discretionem pro admissione ad hoc sacrarium: in quo perpetua plen. Indulg. Ecclesia prægrandis. Conventus à S. Helena cum proventibus fundatus, modò desolatus, ad habitandum tamen commodus, prout melius consideravi Anno 1710. & 1313. data mihi licentiā à mentionato Santone. Addit Pater Petrus Ant. de Venetia ordinis nostri, quod si Machometani interrogentur, cur saltem eorum fæminæ inibi non habitent. Respondent: quia hic diu vivere non possunt. Si hoc verum est, vult DEUS ostendere, ibi tot purissimas Virgines habitasse, purissimæque ibi Natae Virginum Reginæ, puro corde servivisse. Nolo præterire, quæ revelata sunt S. Briggæ videlicet: *Qui ad locum istum ubi B. MARIA nata, & educata fuit, venerit; non solum mundabitur, sed & erit vas in honorem meum.*

C A P U T VIII.

De Templo Salomonis.

Hoc Majestuosum templum etiam invisit, reædificatum (primum enim non amplius, nisi reædificatum, existit, protutinfrà dicetur) Salomonis dictum: sed à longè, nam nullus eō ingredi audet, exceptis Machometanis, sub pæna mortis (absque alio remedio) aut abnegandæ fidei. Pro vera tamen & exacta primi templi Salomonis notitia habenda, industriose scire volentem remitto ad 3. lib. Reg. c. 5. & 6. ubi reperiet, quod volendo Rex Salomon Templum summo Domino ædificare, ædificavit de rarissima structura, & majestate extraordinaria, talique pompositate, ut eam latis mundus capere non potuerit. Sufficit dicere, quod Rex uti fuit sapientissimus, ita sapientissime quod dispositus, fecit

fecit Illi, à quo sapientiam habuit infusam. In gratiam autem illorum, qui Biblia sacra non habent, sequentia annexo. Hujus Templi longitudo in mensura prima (id est ad mensuram tabernaculi Moysi ut exponit Hieronymus: lib. de Heb. quæst.) erat cubito-^{3. Reg. 6.}
rum 60. latitudo 20. altitudo 30. In una mansione. In secunda,^{& 2. Para-}
30. Intertia, 60. Ita Hugo Card.^{lip. 3.} Porro cubitus nunc continet
tantum pedem & dimidium, olim verò, uti pedes hominum, ita &^{Hugo Car-}
cubiti erant majores, quam nunc sint. Origines multoties cubi-^{dinal.}
tum intelligit, non communem, de quo jam dixi, sed qui continet
6. cubitos communes & vulgares, cui adhaerent Isidorus, Clarius
& Delrio: citati à Cornelio. Et revera si cubitus noster accipe-^{Cornel. à}
retur, magis esset modernum templum dictum Salomonis, cùm^{Lap. c. 6.}
nec medietas sit antiqui, per consequens longè alij cubiti sunt in-^{f. 100.}
telligendi: consulat Lector expositores. Cœpit autem Salomon
Templum anno quarto Regni sui, mense secundo. Anno 480. fi-
liorum Israël profectionis ex Ægypto. A tempore verò Diluvij
anno 1440. Ab Adam autem proto-plasto usque ad ædificationem
præterierunt anni 3102.

Procurator à Salomone pro necessarijs hujus fabricæ erat Adu-
ram institutus. Artifex autem ad Salomonis instantiam ab Hi-
ram missus, fuit Chiram nomine Tyrius, habens patrem Uriam ge-
neris Israëlitici; matrem verò ex genere Nephthali. Operarij
erant septuaginta millia, qui humeris onera portarent: & octua-
ginta millia, qui lapides de montibus cæderent.^{3. Reg. 5. & Paral.}
^{2. 2.} Operarios alios elegit triginta millia virorum pro secundis
lignis. Præpositos autem præfecit, qui operatijs præcessent 3600.
^{2. Paralip. 2.} Et quod omnes stupere facit, in tanto opere fabri-
cando à tot laboratoribus non erat audibilis strepidus. Corne-
lius verò à lapide, notavit in universum habuisse Salomonem in
construendo templo octuaginta millia Ægyptiorum, & octua-
ginta millia Phœnicum, & quando eos domum dimisit, dedit singulis
decem Siclos auri: id est: 40. coronatos Francicos; summa ergo
omnium, quam eis dedit, sunt mille millia, & insuper sexcenta
millia Siclorum. Præterea in hoc opere habuit centum quinqua-
ginta millia Gabaonitarum sive Nathinæorum, & triginta millia
Hebræorum, quibus verisimile est, tantumdem dedisse, cùm pares
C 2
suerint

fuerit in labore. Ergo omnibus computatis, dedit centies, & trigesies centena millia aureorum, & insuper sexcenta millia: hoc est: tredecim miliones, & sexaginta millia aureorum. Hæc Cornelius à Lapide scribens de mensuris & ponderibus Hebræor. Græc. Roman. & Hispan. fol. 1056. Nec hoc sufficiebat Sapientissimo animo Regis; voluit præterea, ut intus tabulæ cedrinæ circumdarentur listis ex auro purissimo, in quibus apparebant Cherubini, quorum palmæ sic ad invicem catenulis aureis colligatae erant, ut eas intuentium, quasi raperentur oculi. Et quod plūs, omnia usque ad pavimentum cooperuit auro, ipsosque clavos iufit fieri aureos, portæ tamen solummodo deauratae erant. Quod attinet vasa, quæ fieri curavit pro servitio Templi Domini: Hæc erant triplicis generis: Aurea, argentea, & ærea. Ultimi generis tanta erat copia, ut vix numerari possent. Erexit etiam duas columnas æreas, quarum altitudo erat 35. cubitorum, si credimus Iosepho celeberrimo Hebræorum Historico, & à S. Hieronymo in veritatis expressione æstimatissimo. Hic etiam cum alijs testatur, sequentia enumerando: 20000. scilicet Thuriborum pro incensatione ex auro: alia thuribula 50000. vasa aurea diversi generis 220000. argentea 280000. Alia Thuribula 50000. quæ serviebant pro igne Sacro accipiendo ex Altari Holocaustorum. Mensæ aureæ pro sacrândis victimis 10000. totidem ex auro candelabra. Stolæ Sacerdotales aureis fimbrijs à summo & deorsum textæ pro Pontificibus 1000. Pro alijs sacerdotibus 1000. præter illam summi Pontificis, gemmis pretiosis & adamantibus ornatam. Pretiosissimæ Tubæ 2000. alia instrumenta musicalia 40000. præter magnam multitudinem vasorum æneorum, quorum non est specificatus numerus. Hæc omnia fuerunt spoliis ablata à Nabuchodonosore, & in Babilonium portata, præter ablata remanserunt 5400. vasa aurea & argentea, quæ à Cyro Rege Persarum novo templo fuerunt restituta. Ministrorum quasi non erat numerus: nam Sacerdotes pro offerendis victimis erant 24000. Sacrificanti 4000. Janitores seu Portinarij totidem: Cantores similiter ordinati Sacerdotes, qui Divinum quotidie psallerent officium 120. Expensæ pro illa fabrica in totum 30. miliones auri, ex qua summa facile colligi potest ejus Magnificentia, præter ea quæ defor

Lib. 8. an.
tiq.

1. Esdræ 1.

fortis constructa erant pro capienda multitudine adventantium,
quæ tanta erat teste Baronio ad annum Christi 72. quod amplitudo ejus duos exercitus, & ultrà capere potuisset. Primum foraneum atrium, dicebatur profanum, quia eò licitus etiam erat gentilibus ingressus. Ad secundum verò Hebræis, Templi ingressus solis sacerdotibus. Ad sancta Sanctorum, soli summo Pontifici. Majestas & splendor hujus templi duravit annis 420, quod anno à Capit: Generalissimo Nabuzardan Regis Nabuchodonosoris fuit destructum circa annum à creatione mundi 3568. excidium sancte lamentabile. Post annos verò 70. Patrocinante Cyro Persarum Rege, fuit reædificatum à Zorobabel cum sua gente nobilissima hebræa: sed opere post multos annos finito, Seniores considerantes ejus minoritatem in omnibus, planxerunt amarissimè: *Flebant autem, inquit Lyranus, memores gloria templi: quod destrutum fuerat, respectu cuius, istud secundum, quasi nihil erat.* Fuit *Joseph. I. 1.* deinde profanatum & istud ab Antiocho, sed mox reconciliatum c. 4. à Machabæis. Herodes autem Rex post usque ad fundamenta dejecit, & magnificentius ædificavit, quod ut tale duravit usque ad tempus Christi cum suis porticibus, quæ quasi omnes ruinatae erant, exceptâ unâ, quæ adhuc erat Salomonica reliquia, de qua fit mentio à S. Luca: *Cucurrit omnis populus adeos ad porticum, quæ appellatur Salomonis.* Fuit denique anno Christi 72. destrunctum à Romanis per Titum; & post annos 65. ab Adriano Imperatore propter certam rebellionem Hebræorum, ita eversum, ut etiam restantia fundamenta antiqua evelli curaverit, & ad vallem Josphat projici. Et hæc fuit antiqui templi, & ejus reliquiarum ultima ruina. Anno vero Christi 366. (ut scribit Baronius) Julianus Apostata dedit licentiam Hebræis illud reædificandi propter tria motiva. Primò: ut inficere posset oraculum Danielis Prophetæ dicentis: *& post finem belli statuta desolatio.* Secundò: ut eò facilius posset abolere Christianismum. Tertiò: quia sperabat Judæos seu Hebræos Gentilium suscepturnos. Sed non fuit consilium contra Dominum, vix enim fundamenta eruerunt, & ecce flamma planè infernalum cum magna vehementia inde erumpens multos operarios in cinerem redegit, alios ab opere cessare fecit. Sanctus vero Gregorius Nazianzenus addit: auditas fuisse vocifera-

ferationes, tonitrua, & terræ motus, ignisque apparuit, & cruces sanguineæ supra vestes operariorum. Quibus tam prodigiosis perterriti signis, contriti sacrum suscipiebant Baptisma. Ita Sōfomenus & Russius. Et hæc est brevis series antiqui Templi Salomonis.

Est hodie quidem etiam Hierosolymis templum, appellatum Salomonis, sed hoc tantum denominationem obtinet à priori, eò quod in eodem loco erectum sit: ex historijs enim Saracenorum colligitur, quod hodiernum fuerit erectum ab Omurcatah eorum Principe, qui fuit tertius Machometi successor, hic enim durante 14 annis Persarum bello cum Heraclio Imperatore, sumpto formidabili exercitu trajecit Syriam, captáque Hierosolymā istam exrexit Ecclesiam, vel ut verius dicam Moscheam oct - angularem ex axis pulcherrimis cum columnis elegantissimè elaboratis, & picturis pretiosis violacei coloris. Ex nostri Conventū S. Salvatoris tecto clarè videtur ejus structura: melius verò ex monte oliveti: si quis verò ex vicino videre desiderat, ingrediatur atrium, seu Praetorium Pilati, hæc est Residentia Bassæ, prout & mihi indulsum fuit. an. 1707. 1710. 1713. quod cùm sit contiguum planæ adjacentiæ templi, quasi palpabiliter cernitur. Turcæ fatentur nullum ibi Altare, statuas nullas, nec picturas restare aliquas, quia hæc Turcis sunt odiosa, pluralitas tamen lampadum pendet, quæ accenduntur diebus veneris: plures tamen in eorum Ramada, in loco præsertim, in quo eorum mulieres manent, quæ omnia vident, & non videntur. Templum plumbō totum coopertum est. Anno 1099. captā à Christianis S. Civitate, fuit hoc templum reconciliatum, cum titulo: *Templum Domini*: in quo priùs Godefridus fundavit Canonicatum, & in vicino sumptuosum erexit Palatium pro Cavaleris, dictis ideo Templarijs. Anno verò 1136. fuit solemniter consecratum per Legatum Apostolicum, ubi etiam gratia Plenaria Indulg. fuit, & est concessa. Postmodum anno 1187. Soldanus, S. Civitatem invasit, & templum totum aquâ rosaceâ lavari jubens, cantaréque Santonibus præcepit ad quatuor partes, ad confusione Christianorum. Ita Baronius. Gaudebant verò Saraceni Hierosolymā cum Templo ad annum 1516. excepto illo modico tempore, quò Tartari dominabantur usque ad Selinum Turca-

Tyrius L. 9

Turcarum Imperatorem , & hodiernum Suldananum: estque apud illos in maxima observantia & aestimatione , cum tantoque zelo tenetur, ut nullum eò admitti sinant. Omnes Turcæ dicunt asservari in eo plantam pedis Christi Domini efformatam , & asportatam ex Monte Oliveti à Saracenis , & est verisimile: nam Pater Quaresimus testatur, quod viderit à Turcis ex limo efformatam , suprà illam, quæ concordat cum illa sinistra , restante in monte Oliveti, nam ei æqualis, similisque est per omnia.

TRACTATUS IV.

Describens Montem Sion , in eoque contenta SS. Sanctuaria.

CAPUT I.

De Monte Sion,

Tam numero quam excellentia Beneficiorum à Christo collatorum, primum sibi facilè vendicat locum Mons Sion . Hic jacet ad Australem plagam parumper à dextris S. Civitatis occidentem versus, quam aliquantulum eminet altitudine suā. Ad alteram partem habet profundam vallem, undē altè situatus est. Olim inhabitabatur à Gebusæis, gente feroci & bellica, qui præsumentes de suo valore ac robore, & hujus montis fortitudine , Davidi eum oppugnaturo intimarunt, claudos tantum & cœcos sufficere ei ad resistendum, & hoc fortalitium tuendum. Verumtamen sanctus Rex divino favente auxilio; illud intrepidè expugnavit, & feliciter obtinuit, vocarique voluit à nomine suo civitatem David. Hic locus in sacris paginis intitulatur; *Mons DEI, Mons pinguis*; & non sine causa, nam hic homo ille Christus JESUS fecit Cenam magnam, manducando Agnum Paschalem cum electis Discipulis suis, quibus & seipsum dedit in edulium, transmutans panem in Corpus suum, & vinum in sanguinem, prius lavans pedes supradictorum. Hic primunt celebratum est Missæ sacrificium. Hic visibili specie super Discipulos descendit Spiritus sanctus.

Psal. 67.

Etus. Hic in locum proditoris Judæ electus est Sanctus Mathias Apostolus. Hic primum celebratum est Concilium. Hic Beataissima Virgo MARIA obdormivit. Hic denique S. Pater noster Franciscus primum plantavit Conventum, à quo denominatus est Guardianus Hierosolymitanus anno 1219. & hīc habitarunt Fratres nostri usque ad annum 1291. quando à Saracenis fuerunt expulsi cum omnibus Christianis Europæis, usque dum denudò post annos 13. operâ Serenissimi Regis Neapolis, & Siciliæ Roberti fuissent restituti, sīcque commorantes usque annum 1561. Non valentes autem extra muros civitatis ultrà supportare gravamina, coacti sunt ab hoc SS. Sacrario (Santonibus cogentibus) descendere, & ad civitatem confugere, ad locum scilicet, qui S. Salvatoris dicitur, ut suprà memini. Ante paucos tamen annos intrabant nostri Religiosi venerantes Sacrarium hoc, illo præsertim tempore, quo Santones granum, &c. colligere solent, nam tunc ille, qui restabat pro custodia, paucis contentus denarijs, dabat intrandi facultatem, libertatēmque: modò verò nulla natio, quæ Christum confitetur intrare tentat, nec ego intravi. Nè verò præterire hoc sacro - sancte dignissimum Sacrarium videar, acuratori diligentiā investigando, ea, quæ in gravissimis Authoribus legi: Quaremo, Malleo, Bonif. & quæ à fide dignissimis, hīc degentibus nostris Patribus ore tenus percepī, annexo.

C A P U T II.

De Fortitudine hujus Loci.

Iste locus videbatur quasi inexpugnabilis, non tamen effugit flagellum Romanorum, vel potius DEI, nam in excidio Civitatis per Titum, fuit etiam hic locus eversus, exceptò sanctuariō supradictō, & Turri Davidicā, quasi miraculosè conservatis, quia sic integra, & in tali forma remanserunt, in quali erant tempore Nostrī Salvatoris. Divisum est hoc in quatuor habitationes, duas superiores, & duas inferiores: Prima superior *Canæ Domini*: quia hīc Christus cum Discipulis Agnum Paschalem manducavit, ad plāgam occidentalem, longitudinis 68. & latitudinis 52. palmorum. Ad orientalem altera, quæ appellatur *Spiritus sancti*: quia hīc su-

prā

præ Discipulos descendit Spiritus sanctus. Inferiores duæ: ex his prima occidentem respicit, estque ejusmodi quantitatis, cuius est Cænaculum Domini, habens duas quadratas columnas spissitudinis quasi palm: 6. sustentantes illam, ad hæcque intratur per 16. gradus ex petra viva. Secunda respiciens Austrum seu septentrionem palm: 56. ad Orientem verò & Occidentem 23. Hic conspicitur una Arca, vel sepulchrum magnificum suis columnis fulcratum, & creditur esse S. Davidis Regis testimonio Josephi, qui addit: quod Rex Herodes suspicatus ibidem esse thesauros absconditos, illud aperiri curavit, quod vix apertò, erupit flamma, quæ suos intimos duos consumpsit Aulicos: hoc factò perterritus Herodes, illud curavit de novò occludi, ac elegantissimo marmore ornari. Suprà hanc fabricam à S. Helena fuit erecta Ecclesia, quam restauravit Regina Sancia, Roberti conjunx devotissima, appellabaturque Ecclesia Apostolorum. Indulgentiae ibid: Plen: concessæ, & cùm sit nunc destructa, illas peregrini lucrantur foris: sicut & in quatuor suprà memoratis habitationibus. Hic Christus præter ordinationem Apostolorum in Sacerdotes in ultima Cæna, instituit etiam Sacramentum Confirmationis. Ità S. Cyprian. Bonav. Albert. Mag. Niceph. Hieronym. & hoc confirmat S. Fabianus Papa dicens: *JESUS postquam cœnavit cum Discipulis suis & lavit eorum pedes, Chrisma eos confidere docuit.*

Joseph.
l. 16, c. 10.

Fabian.
Pap. Ep. 2.
c. I.

CAPUT III.

De Domo B. V. MARIAE, in qua vixit, & mortua est.

AD Occidentalem partem Sanctissimi Cænaculi in distantia 20 passuum reperiuntur antiqua fundamenta, Domus B. V. MARIAE, in hac vixit post Filij sui Ascensionem in cælum, in eadem habens oratoriolum, in quo audiebat Missam custodis sui, & Capellani S. Joannis Evangelistæ, ex cuius manibus etiam SS. Communionem sumebat. Hic Mater vitæ, finem dedit in hoc mundo, vitæ suæ. In cuius funeralibus solemnis sequentia refert Nicephorus miracula. Hebræi audientes Apostolorum funebrem cantum (convenerunt enim derepente ex longinquis— D parti-

partibus ad transitum Reginæ suæ) uniti furiose dixerunt : Eamus tandem semel ad trucidandos illos Galilæos , & comburamus corpus illius quæ genuit seductorem , jámque approximati feretro , eorum Sacerdos volens id evertere , extensa ad hoc manus ejus sacrilegæ protinus aridæ factæ sunt & siccæ , reliqui ipsò momento excæcantur . Qui de malefacto pænitentia ducti , ignosci sibi perierunt , supplicando Sancto Petro ut pro se exoraret . S. Apostolus igitur Sacerdoti dixit ; si verè confessus fueris Christum esse Filium DEI sequentibus verbis : *Ego credo in Dominum JESUM Christum , quem portavit in suo utero Ista Virgo , recuperabis salutem animæ & corporis.* Hac confessione pronuntiata factus est sanus . Cui S. Petrus dedit palmam , quâ tangeret oculos suorum hebræorum , qui sani facti , Sanctam fidem in JESUM Christum suscepere . Locus in quo hoc contigit miraculum , distat à S. Monte Sion , vel à Domo B. Virginis in via Christi ad muros Civitatis versus vallem Josaphat , quasi 500. passibus .

C A P U T IV.

De loco , ubi S. Mathias electus est in Apo-
stolum .

Extra SS. Cænaculum in via communi ad occidentem declinando , adebat locus , in quo Apostoli convenientes oraverunt Dominum nostrum , ut demonstrare dignaretur , qui dignus esset in locum Judæ in Apostolatu succedere : & cùm cecidisset fors super Mathiam , electus est in Apostolum ut habetur Act. 1. Cecidit fors super Mathiam . 7. an. Ind.

C A P U T V.

De loco , ad quem translatum fuit corpus
S. Stephani .

A Sinistris ejusdem Cænaculi cernitur locus , ad quem fuit ex Villa Gamalielis , distante quatuor milliaribus Hierosolymâ , translatum , & sepultum corpus S. Stephani Proto-Martyris . Et hic 7. an. Ind.

CAPUT

CAPUT VI.

De Loco Divisionis Apostolorum.

AD Septentrionem suprà nominati cænaculi 15. passuum in via publica apparet Cisterna, in cuius vicinitate locum veneramur, in quo sibi valedicentes SS. Apostoli, sese ab invicem diviserrunt, unusquisque ad Provinciam, quæ ei obtigerat ad JESU Christi prædicandum Evangelium: & hoc suit post mortem S. Jacobi. Huic loco 7. an. Ind. est concessa.

CAPUT VII.

De sepultura Manasses.

Non longè ab hoc, deprehenditur ruinatus locus, in quo dicitur sepultus Manasses Rex, qui, cum esset leprosus, non poterat nisi in horto sepeliri. Ità S. Textus: *Dormivit Manasses cum Patribus suis, & sepultus est in horto domus sua.* 4. Reg. 21.

CAPUT VIII.

De Domo Caiphæ.

Intra duo Territoria sacra, nimurum S. Civitatem, & S. Montem Sion, cum sit modò extra civitatem, visitatur sanctuarium in Ecclesia mediocri, quam officiant Armeni, ibidem in Conventu suo existentes. Hic erat domus Caiphæ summi Pontificis, in qua fuit congregatum Concilium impiorum adversùs JESUM, ut Eum morti traderent, in quo idem Pontifex in Eum mortis sententiam tulit, dum ita simul prophetavit: *Expedit, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Hic se obtulit Judas ad tradendum Eum, & huc rediit ad restituendos 30. denarios. Hic Petrus JESUM ter negavit. Hic deñique per continuas tres horas, amabilis MARIAE Filius, injurijs laceitus, sputis conspurcatus, aliisque ignominij ac percussionibus fuit affectus, tamque impiò & iniquò modò tractatus, qualis defactò nulli hominum revelatus est, sed hoc ipse sibi pro extremo die Judicij reservavit. Huc alternatum

natum intrabant scelerato - petulantissimi Hebræi ad Eum in carcerem ligatum injuriandum, & tali modō iniquitatis vexandū, quō mens scelerata , aut ipse diabolus suadebat. Carcer ille est in cornu Epistolæ altaris majoris, qui modō in sanctissimum versus est Oratorium, nimis autem angustum, ut vix celebrans cum ministro comode stare possint. Huc nostri Religiosi à S. Salvatore Dominica Pentecostes pro cantandis solemniter Vesperis unā cum Maronitis, & alijs Christianis conveniunt, & hoc post Confirmationis Sacramenti Administrationem , quod post meridiem administrat Reverendissimus Pater Guardianus in Ecclesia S. Salvatoris. Feriā vero secundā celebrantur privatæ Missæ tam super Altare Majus, quam in illo Sanctuario Incarcerati JESU. Ubi etiam concessa Indulg. Plen perp. Sub altari majori monstratur prægrandis lapis, qui advolutus fuit ad ostium Monumenti Christi, & huc translatus, devotis osculis à fidelibus honoratur.

TRACTATUS V.

Describens Vallem Josaphat, in qua nos omnes comparere oportet in extremo Judicio.

In qua Valle cum diversa occurrant veneranda Loca.

Sit de His.

CAPUT I.

De Porta Aurea.

Veneraturi Vallem Josaphat exeunt per Portam S. Stephani, & paululum progrediendo , oculisque murum versus vertendo habent occurrentem Portam Auream , sic appellatam propter pretiosa ornamenta. Per hanc Bethphagen intravit super asinam sedens Christus , quæ (secundum Adricomium) ultro aperta est , & propter hoc estimatur à S. sede Apostolica . Modò est occlusa & obmurata : si hujus rei queratur à Turcis causa , respondent : Non aperiendam usque dum veniat Rex magnus, qui illam aperiet , & per eam intrabit. Alij dicunt ideo

ideo esse clausam , quia timent superventurum aliquem Regem
die Veneris subreptitiæ in ipso tempore orationis eorum , &
ideo omnibus diebus Veneris tempore suæ orationis omnes
suas portas occidunt , quod alibi non faciunt . Hic Indulg.
Plen.

C A P U T II.

De Valle Josaphat.

Sancta Civitas & Mons oliveti intermedium habent Convallem,
quæ dicitur *Josaphat*. Nominis rationem tradunt, quia Rex *Josaphat* illuc descendit ad laudandum DEUM ; & ibi ædificavit magnificum pro se ipso sepulchrum.

Magis ramen faveat traditio illorum , qui ab interpretatione nomen imponunt . *Josaphat* enim interpretatur *Judicium*, quod ibi sequetur Universale secundum Joëlis prophetiam : *Et congregabo omnes gentes, & educam eas in Vallem Josaphat.* Hoc non solum omnes Christiani credunt, sed & Hebræi, & Machometani . Hæc Vallis longitudine se extendit ad medium bonum milliare germanicum : latitudine paulò minus medio, quod facit stupere omnes, quomodo hæc angustia loci omnes captura sit judicandos : sed perpendamus oraculum Isaiae : *Omnis vallis exaltabitur, & omnis collis humiliabitur.* Et hoc, quo modo ? audiamus S. Davidem Prophetam : *Ignis ante Ipsum præcedet.* *Ignis* juxta S. Hieronymum exaltabitur ante diem judicij, consumet sylvas, devorabit civitates , marmores convertet in cineres, liquefaciet metalla , montesque explanabit , & sic non erunt tunc valles , & colles , sed una ante nunquam visa, aut audita planities , in qua planicie statuet oves à dextris , & hædos à sinistris Justus Judex : & reddet unicuique secundum opera ejus.

C A P U T III.

De loco ubi S. Stephanus fuit lapidatus.

Descendendo deorsum per viam communem , antequam attingatur primus pons Cedron, ad dextrum cornu solent

D 3

perc-

peregrini osculari saxum magnum, super quod aliqualiter adhuc expressa forma Proto - Martyris S. Stephani appetet, qui hic ab Hebraeis turbine saxonum crepitantium occubuit. Forma, ut dixi, parum appetet, nam indiscreta hominum devotione Christianorum eam radentium est destruta, Indulg. tamen 7. an. perseverat.

C A P U T IV.

De Templo SS. Sepulchri B. V. MARIAE.

IN hac Valle versus Austrum principalem sibi vendicat locum. Ecclesia SS. Sepulchri B. V. MARIAE. Fuit primitus duplex erecta Ecclesia, una suprà, quæ cùm sit à Saracenis destruēta, ac rudera, pro novo templi Salomonis ædificio transportata, eam silentiō prætero. Altera subterranea, quæ divinā Providentiā reservatur pro inta&ta conservatione sepulchri Matris Iuæ, & pro piorum fidelium consolatione. Habet suum frontispicium ad meridiem latitudinis palmorum 40. circiter. Gradus immediate à porta incipiunt, quorum 50. sunt: longitudo eorum, palm. 28. Descendendo, in medio conspicuntur 2. Capellæ, ad finistram S. Josephi, quia hic corpus suum repositum fuit in arca, quæ pro altari inservit. 7. an. Ind. Ad dexteram continet duo sepulchra Parentum B. V. MARIAE. Pariter 7. an. Indulg. In quorum festivitatibus ibidem cantantur solenniter Missæ cum Concione: alijs verò diebus, quilibet pro sua devotione celebrat.

Ad finem graduum est Altare Armenorum orientem respiens, & incipit planities ecclesiæ strata lapide polito seu pavimento per modum crucis. Ad occidentem altare Græcorum, habentia duo Altaria. Ad Austrum, Jacobitarum. Ad meridiem, orationi serviens Turcarum, & sic omnes nationes gaudent hoc S. Loco. Porro nostri Religiosum suis Maronitis catholicis præcipuis gloriantur sanctuarijs; nam præter suprà nominata gaudent in estimabili Thesauro, Cæli terræque Reginæ SS. Sepulchri. Hoc marmoreis est obductum, & inclusum tabulis, ad modum sepulchri Filij sui, excedit tamen uno palmo, nam Christi Domini est 10. palmorum; Virginis autem MARIA II. palmorum. Per duas

duas portulas strictus licet, commodus tamen ad hoc Sanctuarium est ingressus, una porta occidentem, altera respicit Austrum altit: 5. latitud: 3. palmorum.

Habet anteriū & aliud altare, in quo ordinariē missæ private celebrantur, quæ legi non possunt super ipsum S. Sepulchrum. Tota illa machina ex rupe sicut excavata, excepto frontispicio, quod est fabrefactum. Pendant in hoc sacrario semper quindecim vitræ lampades. Porrò in SS. Sepulchro nulla natio præter catholicam celebrat exceptis diebus Mercurij, in quibus à Revere-
rendissimo & PP. Discretis permisum est Armenis, cùm & illi feriā secundā Pentecostes in Palatio Caiphæ, & ad S Jacobum, in ejusdem festo solemnem nobis officiaturam indulgeant. Et sicut ego observavi anno 1710, ipsimet Machometani inibi aliquam quasi venerationem B. Virgini tribuunt, nam tres Ägyptij modestè me interrogarunt, an sit futura Missa? & notitiā acceptā, eō sunt cum omni modestia ingressi, appellāntque non nomine Matris DEI, sed Messiæ & Universalis Judicis. Ad hunc S. Locum descendunt quotidie nostri Patres pro dicendis Missis, saltē Sacerdos cum Laico, qui secundūm ordinem septimanatim ad hoc scribuntur in Conventu S. Salvatoris. In Vigilia verò glorioſæ Assumptionis ferè omnes descendunt vesperi cum Parochianis, instrumento musicali (dicto Regalum) Vespers decantant, & Completorium: Matutinum item cum Missa solemni (præter privatas) cum ornatu, & sumptuoso apparatu celebrant, mōxque illa numerosis lumenib[us] in diem vertitur, omnes vigilias agunt confitendo, & post medium noctem communicando cum hymnis & musicis in honorem cœli terræque Reginæ. Hanc sanctam & admirabilem Basiliacam S. Helena erexit, quæ postea tractu annorum à S. Sede cum Monasterio consignata fuit Monialibus S. Benedicti. Præter alios Turcas & Guardiam seu Custodiam Janitzarorum, adevit ibi Santon, qui ab ingressuris prima vice unum exigit medinum, volebat hoc penso aggravare & nostros Franciscanos, unde Reverendissimus Pater Guardianus inhibuit in illud Sanctuarium ingressum imposterum tam Religiosis quam Peregrinis. B. Virgo autem apparuit illi Santoni avaro, minaciter ei reprobrando his verbis: *Tu es causa, quod priveremis honorib[us] & laudibus, quas mihi mei*

Fran-



Francbi, vel latini dabant, scias verò, si non permiseris ei liberatam, me male contentam fore. Hoc Santon perterritus, summo manè adiuit Conventum, projectisque ad pedes Guardiani clavibus, dixit: Accipe & mitte fratres & Peregrinos deorsum, quia sic vult MARIA, nec prætendo quidquam à Religiosis: sín verò feceris mihi dari unum medinum (alias moravicus grossus) à Peregrinis luscipiam magis ex gratia, quām ex debito.

Gaudet ista Basilica uno fonte aquæ recentissimæ, quâ recreantur Advenæ, sed magis fonte Indulgientiarum Pleniarium orantibus ad sepulchrum Pijssimæ Matris MARIÆ.

C A P U T V.

De Antro, in quo Christus, sanguinem, orans, sudavit.

Exentes ex lætissimo hoc Sacrario declinando statim ad lævam extra portam, ingrediuntur mœstissimum Christi Antrum, quod relictis foris tribus Apostolis ingressus JESUS caput parere, & tædere, ac ultra modum sanguinem sudare. Est hoc antrum rotundum, licet non in toto, per diametrum palmonum 40. Erant in fornice cæruleæ picturæ stellas expressivæ, prout hodie quasdam videre est; aperturam habet desuper, quæ lumen aliquantulum subministrat introeuntibus, præter illam, per quam sat declivè intratur ad illud. In capite ad orientem habet altare. Huc frequenter nostri accedunt ad celebrandas missas. Hebdomadâ verò sanctâ die Mercurij tria adaptantur altaria pro missis privatis, cum una cantata & Passione, convenientibus eō non solùm nostris Maronitis, Græcis, Armenis, sed & Turcis, præsertim cùm hac die multitudo expectet Caravanam seu comitatum à Jordane redeuntem: post Dominicam enim Palmarum (nisi aliquando differendum, vel planè omittendum propter impedimenta occurrentia) omnes nationes (exceptis Hebræis) cum magna assistentia armatorum militum pergunt ad Jordanem, unde eis ob viam procedentes, vel etiam redeentes huc intrant. In hoc loco copiosè sanguine Christi sudantis irrigato, terra fœcundata protulit certam herbam seu plantulam, in cuius folijs expressæ erant litte-

Marcii 14.

litteræ: *O mors quam amara memoria tua.* Ità Egesippus Apostolorum discipulus testatur. Eodem die hic fit disciplina à nostris Religiosis & Peregrinis per tria *Miserere mei DEUS:* occludendo ingressū ostium pannō: & suprà similiter. Indul. Plen. perp. concessa.

C A P U T VI.

De Cingulo B. V. M. S. Thomæ Ap: donato.

AD caput Horti Gethsemani orientem versus remanet grande saxum penes viam à dextris, in quo expressio est Cinguli. B. V. MARIÆ, quod S. Thomæ contristato de sua morte porrexit in solatium Consolatrix omnium: Sanctus enim Apostolus non habendo gratiam videndi corpus post mortem Virginis MARIÆ cum dolorosis singultibus, flens amarissime, in hunc se locum contulit. In cuius facti memoriam lucrantur etiam visitantes. 7. an. Ind.

C A P U T VII.

De Loco, ubi stetit B. V. M. quando lapidatus est S. Stephanus.

REdeundo ex hoc loco per eandem viam, & declinando versus Austrum, accedimus locum, in quo B. Virgo redeundo ex visitatione Montis oliveti (nam S. Mater frequenter Montem oliveti invisebat ad veneranda Filij sui relicta vestigia) substitit & vidit: & ecce Hebræi lapidant S. Stephanum confidentem, & prædicantem dilectum Filium suum. Procumbens igitur illa super genua, & miscens gaudia maceroribus, oravit pro eo. Fuit hic aliquando Capella, modò duntaxat unum saxum. 7. an. Ind.

C A P U T VIII.

De loco, ubi, Orante Christo, dormiere Apostoli.

Prosequendo eandem viam, quæ dicit ad Montem oliveti, Ocurit notabilis rupes, super quam dormierunt tres Apostoli, E Petrus,

Petrus, Jacobus, & Joannes cùm Magister eorum oraret, à quo re-
Mattb. 26 prehensi: *Non potuistis una horā vigilare mecum?* Distat ab antro
sanguinei sudoris, quantum bonæ manūs Iāctus lapidis, vel potius
fundâ vibratus. 7. an. Ind.

C A P U T IX.

De loco, in quo Christus fuit captus.

Descendendo per certam petram aliquantum deorsum, quasi
uniuersi saltus ad dextram, & dein vertendo Austrum versus
Marci 14. inter certa septa lapidea intratur sanctissimus locus, quem ingressus
JESUS (admonitis prius tribus Apostolis: *Surgite eamus*) fuit
Judæ osculō Judæis traditus, à quibus fuit captus, & ligatus, ubi,
cùm Petrus amputâset auriculam Malcho, fuit à JESU reprehensus & Malchus protinus sanatus. Hic facer angulus est per
modum linguæ, cinctus maceriat (id est muro sine calcè) altus dua-
rum ulnarum, in medio duorum camporum turcicorum. Hinc
divina miranda Providentia colligitur in conservatione suorum
vestigiorum. Turcae ipsum intactum relinquunt in campo aperto,
licet fuerint à perfidis Judæis ad destruendum stimulati, & dona-
riis fomentati, sed non fuit acceptum consilium contra Dominum,
cui in consolationem suorum fidelium intacta conservare placuit
tanti mysterij vestigia. Solvit hunc locum, vel emit cum horto
Gethsemani Dominus Paulus Antonius cum suo fratre Jacobo, fi-
lij ambo Augustini Brancovits ex Bosnia, quem donavit Fratribus
nostris 12. Maij Anno 1681. cum instrumento à Justitia Turcica
obtento; sub Gubernio Reverendissimi P. Marini Sormanni, qui
postea totius ordinis Minister Generalis factus, ac demum Episco-
pus Vigevanensis. Indulg. Plen. Positio hujus Sanctoriarum est in
horto Gethsemani, qui locus traditur fuisse villa Sacerdotum, ut
Matth. 26. habetur Matth. 26. *Venit cum illis in villam Gethsemani.* Hortus
verò à S. Joanne appellatur, ed quod fuerit in illa villa. Egressus
JESUS trans torrentem Cedron, ubi erat hortus. In hoc horto jam
Jure soluto à suprà nominato Cavalero, manent adhuc octo arbo-
res olivarum magnæ, producentes fructum, quem Fratres colli-
gunt,

gunt, & ex granis rosaria conficiunt, vel per unum, devotioni fideliūm, distribuunt.

C A P U T X.

De Torrente Cedron.

Quadrante circiter milliaris Italici progrediendo descendit. ad Torrentem Cedron. Torrens ille sic nominatus fuit ab arboribus Cedrinis, quarum hodie nulla appetet, estque sine aqua, nisi tempore pluviali. Incipit autem à vicino ponte Basilicam versus SS. Sepulchri B. V. MARIAE, & extenditur ad mare mortuum. Pontem hic habet secundum à S. Helena ex lapidibus structum, ad modum trabis in memoriam illius lignei, qui primitus fuerat, ex qua trabe formata est Crux pro nostro Redemptore. Ubi hæc excissa fuit vide Tract. XIX, c. 7.

Per hunc pontem captā prædā transiverunt Hebræi, præda autem fuit Christus JESUS; per hunc torrentem funibus constrictus, & immisericorditer tractus; hic cadebat tenerimus MARIAE filius super asperos silices, sanguis ex ore & naribus fluens cum aqua miscebatur; at corda Hebræorum minimè movebantur; sed cui non compatiebantur hominum corda (ad confusionem eorum) durissima quædam rupes velut mollis cera in se plura ejus recepit vestigia, nimirum: pedum, genuum, & manuum, cùm non semel ad terram ab impijs satellitibus dejiceretur & pejus mortuo pecude per aquam volutaretur, quæ quidem efformata vestigia, usque ad hodiernam diem magna cum admiratione & lacrymarum effusione devoti advenæ venerantur, & osculantur. Fateor ex illis vestigijs sacratissimis multa esse raptæ, & ablata, partim Infidelium, plū tamen indiscreta Fidelium devotione, qui particulas abradunt, & pro maximis Reliquijs recondunt. Quædam vero à zelantibus fratribus nostris humo operta manent, nē ab infidelibus conspurcentur præsertim Hebræis. Rupes illa est cinericei coloris. In illo casu (addit P. Bernardus) Christus JESUS ita faciem suam Angelicam, & Os Divinum contudit, ut sanguis abunde manaverit, & dentes aliqui eccliderint. Ind. Plen. & perpetua. Quanta verò cum petulantia & impietate extractus JESUS ex hoc Torrente

per viam, quæ dicit ad Portam sterquiliniam, tractus fuerit per Civitatem? hoc devotæ & compassivæ relinquo meditationi.

C A P U T XI.

De loco, in quo S. Petrus suum deflebat peccatum.

Antequam introeant Peregrini Portam sterquiliniam, prius declinant deorsum ad portam sinistram visitaturi speluncam, quam post galli cantum exiens Petrus è domo Caiphæ, ingressus, suum peccatum, sive Magistri Passionem flevit amare. 7. an. Indulg.

C A P U T XII.

De Porta Sterquilinia.

Ex hoc antro per altum, & petris arenosum ascendendo cam- pum, pervenitur ad Portam sterquiliniam, per quam spurcitiæ civitatis efferebantur, per hanc ad majorem ignominiam traxerunt Hebræi Monarcham Cœli & Terræ. Hæc porta Patientis JESU offertur meditanda tumidis & superbis.

TRACTATUS VI.

Describens viam dolorosam, per quam ductus est bajulans sibi Crucem ad montem JESUS. Super hanc incedentes nostri Religiosi, & multi Christiani, recolentes Passionem, & offendicula pedum Salvatoris sui, depositis sandalijs devotè venerantur. De hac via sanguine Christi conspersa, sequentia annexo capita,

C A P U T I.

De via Crucis.

Absoluta pia visitatione sanctorum Locorum in Valle Josphat,

phat, & Horto Gethsemani, ordine sequitur Via dolorosa seu Via Crucis. Priusquam vero de hac aliquid tractare incipiam, operae pretium duxi, quædam explicanda præmittere, utendo majori ex parte descriptione Adrichomij Authoris nominatissimi, qui de ea agens, succinctè licet, sat tamen exactè descripsit sequentibus. Via Crucis (inquit) quâ Christus in Tribunalis Crucis adjudicatus, cruentis gressibus ad montem Calvariae ivit. Incipiens enim à Palatio Pilati 26. gressibus, ad locum processit, ubi Crux Ei imposita est, undē tota spectante urbe, super sanctos humeros suam bajulans Crucem, versùs Caurum processit 80. gressus ad locum, ubi primò cum Cruce cecidisse traditur. Inde statim per 600. gressus & 3. pedes ad locum, ubi B. V. MARIA cum Joanne Filio suo occurrit. Hinc autem per 71. gressus & sesqui-pedem, ad quadam trivium, ubi Simon Cyrenæus Crucem post JESUM portare coactus est. Hinc porrò post 191. gressus peractos & semi-pedem ad locum, ubi Ipsa Veronica occurrit. Hinc per 336. gressus & 2. pedes ad portam Judiciariam, ubi rursùm cum Cruce lapsus est. Deinde vero ardua & Saxosa, atque paulatim ascendentia via versùs septemptrionem processit per 348. gressus & duos pedes ad bivium quoddam, ubi mulieres plorantes est allocutus: *Filia Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & superfiliros vestros.* Hinc continuò per gressus 161. & sesquispedem ad pedem seu radicem montis Calvariae, ubi ultimò cecidit. Dehinc post 18. gressus ad locum, ubi clavis affixus est. Postremò per 14. gressus ad locum, ubi de Cruce pendens in foramine rupis Calvariae fixus est.

Luc. 23.

C A P U T II. De Loco Flagellationis.

Propè locus sese offert in via crucis dolorosè contemplandus, ad modum Oratorij eretus, in quo fuit Christus flagellatus, purpuratus, devestitus, irrisus, & arundinem pro Sceptro in manu tenens, irrisoriè: *Ave Rex Iudeorum*, salutatus. Hunc locum inhabitant textores turcici. Refert autem Quaresimus, quod anno 1619. cum filius Gubernatoris in illum sanctum locum, velut in stabulum, equos induci curâset, manè sequenti omnes mortui

fuere reperti. De causa certior factus, quod scilicet ille locus
sanguine Messiae fuerit conspersus, ultrà non tentavit. Indulg.
Plen, introeuntibus, sive foris orantibus.

C A P U T III.

De Palatio Pilati.

A Sinistro Salomonici Templi latere est Domus proxima Turri Antoninæ, seu ejus residuo (cujus cum tantum memoria restet, occupare locum alijs, ejus descriptio nolo) appellaturque usque in hodiernum diem Palatum Pilati, ubi solet residere Bassa. Hoc antiquitus erat omnibus ædibus pulchrius, & eminentius, ad quod per scalam 18. graduum (scala autem 8. gradum ab hoc Romanam translata est) ascenditur. Ex hoc licet amœnam planitatem cum templo Salomonis intueri, quod etiam anno 1707. 1710. & 1713. feci in absentia Bassæ, nam ibi Eo habitante, non facile conceditur ingressus. Tam eò ascendentibus, quam foris, Ind. Plen, concessa.

C A P U T IV.

De Palatio Herodis.

R Ecta procedendo ex Palatio Pilati per viam Crucis, divertere ad dextram quantum jaetus lapidis, reperitur Palatum Herodis cum pulchra faciata seu frontispicio ex marmore albo & nigro in aliquantum eminentiori loco vel situ, ubi ego datis promore candelis in ea nihil notabile vidi, excepto uno sat pulchro & commodò cubiculo. Ad hanc domum missus fuit à Pilato Christus, in qua ab Herode, cum de multis curiosè interrogatus esset, & nihil respondisset, tanquam stultus reputatus, & ueste alba induitus, Pilato remissus fuit. Indulg. Plen.

C A P U T V.

De Arcu Pilati, ubi Ecce Homo.

O Mni veneratione dignissimus occurrit locus, videlicet Arcus Pilati;

Pilati: adhunc jam flagellatus, spinis coronatus, totus sanguine lividus à Pontio Præside eductus fuit Christus, & toti populo monstratus cum verbis: *Ecce Homo.* Sed duriora silice Hebræorum corda nulla commiseratione mota sunt, quin imò magis ac magis mortem ejus appetebant, clamantes: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Hic *Joan. 19.* arcus, disruptis & eversis in tota civitate per Titum alijs ædificijs, creditur divinitùs remansisse, Indulg. Plen.

C A P U T VI.

De Deliquio B. V. MARIÆ.

EX Pilati Palatio jam mori sententiatus Jesus bajulans sibi Crucem sub dicto Arcu transiit, pressus autem pondere in uno loco cecidit, Paulò post obviam habuit, *Vir dolorum*, suam mœstissimam Matrem, totam singultibus, ac cordis doloribus repletam, cum alijs plangentibus mulieribus.

Quem cùm in medio latronem Crucis ligno onustum Amantissima Mater intuita fuisset, nimio compassionis dolore correpta, protinus deliquium passa, super lapidem cecidit. Quem lapidem postmodum è terra levans Helena Imperatrix piissima, ereta ibidem Ecclesia in honorem B. V. MARIÆ, ante majus altare honorificè collocavit, sed ab Infidelibus profanata Ecclesia, & post destrœta, lapidem illam Pater Bonaventura Præful Hierolol. Provinciæ Dalmatiæ à Cadino emit, & suprà Portam majorem Domus Montis Sion muro obducendo, collocavit. In illo tamen loco, ubi Beatissima Virgo cecidit. Indulg. est Plen.

C A P U T VII.

De Loco, ubi Christus cecidit, & Simon Cyrenæus angariatus est,

Matri delinquum conspiciens cruce pressus in trivio dilectus filius, viribus defecit, & miserabiliter toto corpore in terram cecidit, nec ultra solus illud pondus portare potuit, sparsò jam tanto ex SS. Corpore, sanguine. Undè obvius Simon Cyrenæus angariatus est, ut JESUM adjuvaret in portanda cruce. In hoc loco

a. Reg. 16. loco Indulg. Plen. De Domo Epulonis, quæ jacet ad finistram, non est quid notabile, nisi quod hic Epulo fuerit de Monte Carmelo, nomine Nabal, qui Regis David nuntijs annouani petenti bus denegavit.

C A P U T VIII.

De Domo S. Veronicæ.

HUJUS PISSIMÆ ERGA CHRISTUM MATRONÆ, DOMUS, AD LATUM FINI STRUM MANET. HÆC CHRISTO CRUCE ONERATO SPUTIS INIQUORUM, & PROPRIO SANGUINE LIVIDO, OBIAM FACTA, CAPITIS SUI VELUM, OBTULIT, UT FACIEM SUAM DIVINAM ABSTERGERET, QUOD PIETATIS OFFICIUM GRATISSIMÈ ACCEPTANS JESUS, IMAGINEM VULTÙS SUI AD VIVUAM IN EO FUDARIO EXPRESSAM S. VERONICÆ OBTULIT. VELUM ILLUD CRAT LINEUM & TRIPPLICATUM, & IN EODEM INSTANTI TRES IMAGINES, SEU VULTÙS FORMAS SUSCEPIT, DE HIS UNUM IN HILPANIA, ALTERNUM HIEROSOLYMIS, TERTIUM à CONSTANTINO IMPERATORE ROMANI ALLATUM, & SUMMO PONTIFICI CLEMENTI CONSIGNATUM, QUOD DEINDE PAULUS V. IN BASILICA S. PETRI RECONDIDIT. ITA MOLANUS CUM BLOVIO. HOC SANCTO VELO SANATUS EST à GRAVI INFIRMITATE TIBERIUS CÆSAR. DE EODEM VELO REFERUNT HISTORICI PALATINI, QUOD HABUERIT TALEM VIRTUTEM, UT CIUCUNQUE ALTERI VELO APPPLICATUM FUIT, EANDEM EFFIGIEM EI IMPRESSERIT; UNDÉ IN GALLIJS QUÆDAM HUJUSMODI OSTENDUNTUR. INDULG. PLEN.

C A P U T IX.

De Porta Judiciaria.

Lue. 23. **N**ON LONGE AB HAC DOMO SEQUITUR PORTA JUDICIARIA, SUPER HANC SENTENTIÆ DAMNATORUM AD MORTEM, & CAUSÆ AFFIXÆ PUBLICABANTUR, QUAM ETIAM IGNOMINIAM INNOCENS NON EFFUGIT JESUS. INDULG. PLENAR. RESTAT LOCUS, UBI OBIÆ MULIERES PLANGEBANT CHRISTUM, QUIBUS ILLE DIXIT: FILIA JERUSALEM NOLITE FЛЕRE SUPER ME, SED SUPRÀ VOS IPHAS FЛЕTE, & SUPER FILIOS VESTROS. QUOD VATICINIUM FUIT ADIMPLETUM SUB TITO, & VESPASIANO,

TRA-

TRACTATUS VII.

De Loco, seu Templo, in quo Gloriosum Triumphatoris nostri sepulchrum, aliaque Sanctissima Loca in eo contenta describuntur.

CAPUT I.

De Templo Resurrectionis D. N. JESU
Christi.

Piusquam recensere incipiam de hoc angustissimo Templo, aliquique Sanctuarijs in eo contentis, operæ pretium judicavi aliquia scitu dignissima succinere præmittere. Et quidem de origine hujus templi, dubijs aikorum non insistendo opinionibus, sequor fundamentalem rationem, seu traditionem, scilicet: quod S. Helena Imperatrix huic operi principium dederit, & ex parte consummaverit. Ita Breviarium Romanum 3. Maij: *Helena Salvatoris Crucis inventa magnificentissimam ibi exstruxit Ecclesiam. Anno verò 20. Imperij Constantini sui filii, id est post Christum natum,* 326. Macarius Episcopus S. Civitatis ab eodem Imperatore litterā, quæ incipit. *Tanta erga nos Salvatoris nostri benignitas, &c.* admonitus, ut hujus templi peculiarem curam gereret, quia hoc excellebat tum magnificentiā, tum mysteriō, ac ministeriō omnia alia templo ita, ut illis temporibus jure sibi vendicarit primatum templorum universi mundi, nam (complectendo loca omnium Sanctuariorum in eo contentorum) aliquot millia hominum facile capiebat. Principiata igitur hæc sancta machina fuit anno 326, & consummata 337. quamvis jam anno 331. quo à Merologio consecrata, fuerit potiori ex parte in suo esse conspicua. Et licet à Barbaris toties male tractata, nunquam tamen ejus forma fuit detrimentum passa. Primus ejus Invasor erat Chosroas Rex Persarum anno 625.

Modestus tamen Episcopus ejus ruinas anno 626. statim resarcivit, Secundus Aumar Cotab. 636. ait anno 673. sub Constantino

tino Monocoma ad instantiam Nicephori Patriarchæ Hierosolymitani restaurata. Tertius *E quem Cabffa* Ægyptius, qui eam incendiō demoliri cupivit, sed divina interveniente manu exteriora tantum ejus ornamenta & picturas tetigit, quam idem ipse matris suæ MARIAE Christianæ instantiâ, ac Oresti Episcopi ad suum statum reduxit. Quartus *Amurath* Princeps Ægypti anno 1009. induetus à Perfidis (non sine magna bursa) Judæis, sed pietate Matris ejusdem Principis denuò illud redintegravit. Porro anno 1099. ad manus Christianorum Europæorum hoc templum cum S. Civitate cadens; piissimus Godefridus Primus Rex Hierosol: Collegiò ibi ereto Canonicis Regularibus S. Augustini illud curæ & custodiaz dedicavit, quô potiti sunt usque ad annum 1187. quando à Soldano Ægypti & Damasci suóque successore Noradino impie fuit tractatum. Et licet iterum sub Friderico Imperatore in potestatem venerit, tamen Bendocar sua crudelitate ei non pepercit. Tandem S. Franciscus à Soldano Diplomate obtento anno 1219. ejus curam suscepit, & cum suis fratribus divinis officijs illud honoravit. Et licet inde ejecti, aliquot annis vacantia fuerit, tamen iterum anno 1304. continuare sacer ordo non destitut, ac divina ope usque ad hodiernam diem non desistit, tenendo Jus particulare in SS. Sepulchrum, super quod omni die missæ privatæ aliquot celebrantur cum una solemni cantata. Architectus magnificæ hujus structuræ, D. Hieronymo teste, erat Sacerdos catholicus, græcus, nomine Eustachius, si tamen à S. Helena alios architectos adductos legeris, huic primum locum meritò assignabis. Campanile verò SS. Sepulchri, quod aliquam ruinam passum est, fabricatum traditur principum Christianorum.

Quod attinet Architecturæ formam, Crucis potiori in parte repræsentat, licet imperfectam. Corpus ejus principale consistit in rotunditate dupli circum datum ab infrâ porticu, seu loggiâ vel pergulâ, quorum inferior sustentatur 14. columnis cum pedi sustentaculis, & 12. pilonis cum suis arcubus interpositis. Superior 8. columnis minoribus, & 12. pilonis ordinatè intermediatebus. Rotunditas ejus operta est grandi cupulâ affabre extactâ ad modum rotundæ pyramidis 132. trabibus cypressinis formatæ, latitudo cujusque trabis unius palmi: ex omni parte longitudo palm.

palm. 30. sicut Romæ templum Pantheon, vulgo Rotonda, excepto quod Hierosolymitanum sit filis ferreis obductum ad impedientium ingressum turturum & corvorum, eò in copia ad voluntum, quod quidem opus tam antiquum, cum aliquam minetur. ruinam, conclusum fuit ante annum 1700. cum Carolo II. Rege Catholicæ ac Magnatibus Hispaniæ illud à fundamentis renovare, jämque facultate obtentâ à porta Orthomannica, & materialibus præparatis, ecce iuvidia Græcorum sese interposuit, quæ eos non sinit pati tam sanctum opus à Catholicis Romanis fabricari; quapropter interveniente etiam morte Caroli II. modò suspirat & implorata auxilium aliorum Christianorum tandem anno 1713. DEO propitiante omnibus contradictibus confusis, Constantinopolis à Sultano decisum est, in favorem nostrum pro reædificanda illa struæta sub gubernio Reverendissimi P. Laurentij à S. Laurentio, ex Ministri Provincialis Rom. Provinciæ, & nunc feliciter gubernantis Guardiani Hierosolymit: totius Terræ S. Custodis Vigilantissimi, qui mihi 1714. 9. Jan. manifestavit, post Pascha hanc fabricam Principium cum D. nomine habituram. Ex hac Basilica ad Aquilonem intratur per grandem portam ad nostrum Oratorium, indè ad Hospitium, in quo cellulæ potiori ex parte ex lignis tabulis pro fratribus consecræ sunt. Ex hoc Oratorio itur ad sequentia Sanctuaria, Ad Carcerem Christi Domini. Capellam S. Longini. Divisionis vestium. S. Helenæ, Inventionis S. Crucis. Improperiorum. Montem Calvariæ. Et ad Capellam S. Adami. Hæc omnia primitus erant ab hoc augusto Templo separata. Post recuperationem autem Civitatis sanctæ, nostri Catholicæ eam tam accommodè adunârunt, ut una tantummodo fabrica sine differentia ulla appareat. Hoc sanctum Templum cum Monte Calvariæ ab intrâ fuit exornatum opere Mosaico pretiosissimo, de quo propter antiquitatem multum jam decidit, jam fumus obfuscavit candelarum & lampadum, quarum ibi ardet continuò magnus numerus, præsertim quando omnes nationes conveniunt in celebrando Paschate, nimirum: Nostri Græci, Armeni, Goffi, Suriani, tunc ultra 4000, omnes ordine elegantissimo dispositæ. Sunt autem in isto templo Sanctuaria octo, in quibus Plen. concessæ Indulg. Præter alia scitu, & viro dignissima, de his,

his, & ordine, quo quotidie à nostris Fratribus visitantur, sequentia ponuntur capita.

C A P U T II.

De Columna Flagellationis.

Sciendum, quod sicut in Ecclesia S. Salvatoris quotidie fit post Completorium processio, ità & hīc, quamvis longior. Ad finem igitur Completorij Hebdomadarius indutus superpelliceō & stolā, ac Thuriferarius, omnēsque Fratres & Peregrini (si adfunt) accensis candelis ad majus altare nostri Oratorij, ubi Sanctissimum aſſervatur, procedunt, genuflexūsque officians seu Hebdomadarius incipit: *O Sacrum Convivium.* Choro proſequente cætera, ut videre licet in frā, ſcilicet Hymnos, Antiphon: Repons: & Oration: à majori Altari à Cantoribus incepto hymno planā voce choro proſequente alternatim: accedens Hebdomadarius ad Altare Columnæ flagellationis illud more ſolito incenſat, & Hymnō à choro finitō dicit clarā voce Responſorium, Cantores Versum, Hebdomadarius orationem, quibus absolutis dicitur Pater, & Ave pro lucranda Indulg. Plen. Et quod hīc notandum est, ſubintellige, ſimiliter & fieri ad omnia sanctuaria. Columna hæc, ad quam flagellatus fuit, & percussionses flagellorum 6666. (ſecundū revelationem S. Brigitte) ſuſtinuit Innocentissimus JESUS, conſpicitur accensā candela post ferratas ferreas crates in medio duarum aliarum partium, id est, SS. Sepulchri una, altera Improperiorum. Iſta columna adhuc à S. Paula (teſte S. Hieron:) viſa fuit tincta ſanguine pretiosiſſimo. Conceda Indulg. Plen.

C A P U T III.

De Carcere Christi.

Ab hac SS. Columna ex Oratorio nostro proceſſionaliter egressi Fratres, declinando ad ſinistrā 160. palm. perve- niunt ad locum ex veteri traditione Hierosolymorum, *Carcerem Christi* appellatum. Salvator enim noster antequam crucifi- geretur, in hunc ut malefactor fuit congettus: hoc enim antrum erat,

ad

quod alias ducebantur damnati ad mortem, ibidem expectantes,
quoadusque ministri præpararent ad eorum supplicium necessaria:
huc proinde etiam patiens JESUS pro nostris peccatis morti adju-
dicatus, detrusus fuit, & quasi jam exsanguis, tremens expectabat,
usque dum clavi, & alia pro Cruci affixione ab inquis ministris
parata forent. Ex hoc Carcere præsentia Christi sanctificato, &
absque omni dubio ejus S. Sanguine consperso, facta est Capella
cum Altariolo, & concessa 7. an. Ind: Extra ostium hujus San-
ctuarij pavimento insertus & immuratus est marmoreus cippus,
foramina habens excavata duo pro reis per pedes subtus ligandis,
ut fert opinio aliquorum. Multi tamen cum nostro P Anselmo
contemplantur JESUM viribus hic substitutum miserabiliter ceci-
disse, & SS. Genuum suorum haec vestigia reliquisse.

C A P U T IV.

De Sacello S. Longini Mart:

Procedendo de hoc Sacrario, obvia est Capella S. Longini, à
sinistris jacens, à Carcere Christi distans 100. palm antea
tantum fuit miserabile antrum, quod iste Centurio, qui & lancea
aperuit latus Domini, ingressus, ibidem austera duxit vitam, in
cujus honorem pietas fidelium ex antro efformavit Capellam.
Hic postea miles pro fide Christi factus, Martyrium pro ipso subiit,
cujus 15. Martij Romæ præcipue in Ecclesia S. Angeli, in Gallijs, &
Mantuæ, in Italia festum solemniter agitur. Ista enim loca glo-
riantur ejus corpore; de quo Isidorus Hispalensis sic annotavit.
*Longinus tactu Sanguinis Christi, cum esset altero oculo privatus, illumi-
natum est extrid, & intus lumine fidei, & per Apostolos baptizatus fuit,
& vitam longam agens in eremo, Episcopatu honoratus, coronam marty-
rij invenit.* Et nos in Ejus Sacello 7. an. Ind.

C A P U T V.

De loco Divisionis Vestimentorum Christi.

Relicto hoc Sacello à sinistris, intratur Capella Divisionis Ve-
stimentorum Christi, longa palm. 30. Ante hac tantum
F 3 spelun-

Marci 15. spelunca fuit, quam ingressi milites iniqui: *Diviserunt sibi vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.* S. Hieronymum aliqui citantes dicunt, illas sortes missas suprà vestem inconsutilem JESU à sua Dilectissima Matre elaboratam, quæ Eo Crescente, æque cum annis, & JESU crevit; satisque accedit illud.

Joan. 19. Joannis 19. *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus fit.* Non quia eâ indui cupiebant, sed quia vis quædam in ea erat medica. Alij ajunt sortes missas suprà Porphyricam tabulam, quæ in Ecclesia Lateranensi ad parietem affixa remanet, estque lata 5. longa 6. palmorum, & potest esse, quod illam tabulam subter, vel suprà sacram Tunicam posuerint, & sic S. Doctorum traditio manet in tacta. In hac Capella 7. annor. Indulg.

C A P U T VI.

De Loco Inventionis S. Crucis.

Continuando iter 30. circiter palm. per scalam graduum 29. descenditur ad Ecclesiam S. Helenæ, in cuius dextero latere, alius sequitur descensus per scalam semi- orbicularem graduum 11. ex petra locali excisorum, ubi adoratur Sacrum Inventio- nis S. Crucis. Hic locus fuit ante extra muros seu parietes Portæ Judiciariæ, ad quam omnes tres Cruces projectæ fuerant, omnésque fortes desuper congestæ, ut eò citius putreicerent, JESUQUE Nazareni Crucifixi memoriam tollerent: ab Adrianique tempo- re usque ad imperium Constantini per annos circiter 180. in loco Resurrectionis simulacrum Jovis: in Crucis rupe statua marmo- rea Veneris à gentibus posita colebatur, existimantibus se tolle- re fidem resurrectionis, & Crucis, si loca sancta Idolis contami-

Hieron. ad Paul. de Insit. Mo- nach. nach. nassent, aut polluissent. Ità S. Hieron. ad Paulam de Insit. Monach. Devotissima verò Regina Helena diligentissimè conquistâ, & omnium unanimi consensu inventâ S. Cruce tempore Constan- tini Magni, Mater ejus Helena sancta his verbis locuta fertur: *Ecce locus pugnae, ubi est victoria? quaro vexillum salutis, & non invenio! ego in regnis, & Crux Christi in pulvere.* Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur; *Divinum de ruinis elevabo ve- xillum.* Ità S. Ambrosio teste. Erutaque hac Sanctissima Cruce cum

cum alijs duabus, locum mundari jussit, & ex eo capellam adaptavit, Altarēque sacrum erexit Honori S. Crucis. Huc præter quotidianam processionalem visitationem à Religiosis nostris ibidem degentibus, in Festo Inventionis S. Crucis à S. Salvatore descendunt pridie quasi omnes cum Parochianis, locūisque ornatur ut Paradisus, cum plurimis luminaribus circa lignum Sanctæ Crucis in altari collocatum, quo superpelliceis induiti omnes Religiosi ex suo oratorio processionaliter cum suo Reverendissimo Præfule, Hymnum. *Crux fidelis inter omnes*, &c. intonando procedunt pro Vesperis cum Instrumento Musicali decantandis, & de media nocte cum eodem apparatu pro solemni Matutino. Sub missa flores Rosarum, &c. desuper projiciuntur, quibus Reverendissimus cum Assistentibus, totōque populo quasi cooperitur, non finē Spiritus dulcedine. Matutinō finitō, missæ privatæ ibidem celebrantur, & fideles communicantur. Manè verò horā competente Missa Solemnis decantatur cum assistentia Fidelium, & Infidelium, diversarum sc̄tarum, linguarum, & Nationum. Post Missam similiter omnes ornati procedunt processionaliter reportando lignum S. Crucis, fitque trinus circa SS. Sepulchrum cum cantu circuitus, Rosarum pariter foliola projiciuntur, ac tandem nostrum Oratorium introeundo, Crux ad majus Altare reponitur. Hæc de illa solemnitate. In prædicta SS. Crucis Capella signatus est locus, in quo inventa tabula, suprà quam inscriptus erat Titulus, J. N. R. J. quatuor litteris, Idiomate græco, latino, & hebraico, prout reperitur Romæ in Ecclesia S. Crucis ad Hierusalem. Supradictus locus est in angulo à dextris Altaris S. Crucis, ubi Græci posuerunt altare nimis demissum ibidem, ut tempore concursus a suis pécuniam colligant. In Sacello hoc S. Crucis Indulg. Plen. Perpetua.

C A P U T VII. De Ecclesia S. Helenæ.

AScendendo per eosdem gradus in Processionibus, vel in privatis visitationibus, fit statio in Ecclesia S. Helenæ, quam illa inter alias 30. circiter in Palæstina erectas, memoratissimam fundavit, ut scribit Nicephorus. Hujus longitudo 50. palmorum: latitudi-

tudo 48. fornix est divisus admodum navicularum, habens 4. columnas, de quibus quidam somniantes dixerunt: quod sudorem emittrant miraculosè, quasi plangendo Passum Redemptorem. Hoc autem nullum miraculum est, sed provenit ab antiperistasi; id est: à calore solis, quia in æstate hoc tantum evenire solet, præfertim dum sol Cancrum, & Leonem inhabitat. In hac Ecclesia sunt duo altaria, unum in medio, honori S. Helenaæ dedicatum, ubi & Ejus Imago: alterum, Austrum versus S. Disinæ Boni Latronis. Penes majus Altare videtur quoddam foramen per modum fenestræ, per quod S. Helena sedens aspexisse traditur, quando eruebant terram, quærendo S. Crucem; ex hoc eodem loco Rosarum flores projici solent, ut suprà memoravi. In hoc Sacello. Indulg. Plen.

CAPUT VIII.

De Sacello Improperiorum.

Egressi per eosdem gradus ex Ecclesia S. Helenaæ in distantia 30. palm. intrœunt Sacellum Improperiorum, non quia hic improperia passus fuerit Christus, sed quia huc delata fuerit ex domo Pilati columna, super quam sedendo fuit opprobrijs saturatus, sputis, colaphis ac spinis coronatus mitissimus Jesus. Alij, & quidem majori ratione fundati tradunt, quod hæc fuerit in domo Caiphæ, ad quam alligatum Christum flagellârunt (ut diximus suprà) faciem illam Divinam velaverunt, & pugnis crudeliter percutiendo dixerunt: *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* Eiusdem opinionis est Eminentissimus Malonius, qui testatur, quod JESUS fuerit ligatus ad columnam in domo Caiphæ junctis post tergum manibus. In cuius memoriam 7. an. concessæ Ind. Hoc Sacellum modo est sub jurisdictione Armenorum,

CAPUT IX.

De Monte Calvariæ.

Super Hunc sacro-sanctè adorandum nudis ascendimus pedibus (etiam ipsimet Machometani, &c.) per duplices gradus, verten-

vertendo nos per paucos passus ad dextram Finito primo ascensu,
sequitur unius & dimidij passus planities ex quadro formata, ex
qua, facta ulteriori ad dextram conversione, ultimatum intramus
locum, ubi Agnus occisus est, ab origine mundi offerendus, id est
ad pavementum Montis Calvariae. Hic Sacro-sanctus locus, olim
quidem omni decore Spoliatus, nunc verò diversis, & elegantissi-
mis marmoribus stratus, non amplius extra, sed intrà S. Civitatem,
& Templum Dominicæ Resurrectionis inclusus est. Tria præci-
pua in eo, ad tria Sacella reducta, assignantur loca. In priori lo-
co, qui in medio est, fuit Christus Crucifixus: In altero ad dex-
teram, stabat Ejus Mater Dolorosa, cum Joanne, dum crucifige-
batur. In tertio fuit Salvator cum Cruce elevatus, cruce defixâ
in terram. Sancti Evangelistæ pro teneritudine cordium, tam
horrendum facinus brevissimè descripserunt, & silentio multa præ-
terierunt, stupentes tamen hæc notârunt: *Ubi crucifixerunt eum.*
SS. Cyrillus, Leo, Hieronymus, &c. descriptentes acta in hoc loco,
ajunt: *Ibi nudatur vestibus, solo supinus extenditur, configitur stipti,*
elevatur in area. Inter locum crucifixionis, & crucis exaltationis,
intercedit columna quadrangularis, quæ ambas illas sustentat Ca-
pellas. Capella Crucifixionis est longa 33. palm. lata 19. duo
habens altaria; unum mysterij Crucifixionis, secundum Virginis
Matris Dolorosæ. In loco ubi in terram fuit positus & projectus
JESUS, & deinde Crucifixus, est pavementum pretiosum ad mo-
dum florumelegantissimè elaboratum, ubi ob reverentiam tanti
Sanctuarij pedibus non calcatur. Hic Indulg. plen. perpetuæ. A
dextris hujus Sacrarij, pariete mediante sunt ferreæ crates, ad mo-
dum fenestræ, per quas ad Sacellum, vel ex Sacello introspicitur Bea-
tæ Virginis Dolorosæ de quo insrà Traët. 9. c. 3. Hunc S. locum
aliquot annis, mediantibus Ministris Othomannicis, vel potius
corruptentibus pecunijs, usurparunt sibi Græci, sed (DEO infi-
nitæ gratiæ) mediante Justitiâ, sub nostram Jurisdictionem redi-
vit anno 1690.

C A P U T X.

De Loco, ubi fixa fuit Crux.

Altera Capella à sinistris in eodem sacratissimo Monte nim-
rum

G

rum Exaltationis S. Crucis, est ejusdem mensuræ cum præcedenti
jam descriptæ, diciturque Exaltationis quia huc Agnum mansuetissimum, jam Crucis acelavatum traxerunt, ubi Crucem terræ figentes, illum in aërem elevârunt; est locus eminentior pavimento bonis 2. palmis, longitudo ejus ab Austro & septentrione 14. palm. latitudo verò 9. habetque foramen in medio, ad quod Crux defixa erat, circumdatum laminâ argenteâ de circumferentia palm. 2. & ½. ipsius verò foraminis latitudo palmi unius minimi, profunditas 3. palm. opera cuiusdam Presbyteri Georgiani elaboratum, cum inscriptione: *Memento Domine servi tui Presbyteri. Scilla Hieronymathi Iberi. Absolutum anno Christi M. D. L. X. Ind. Plen.*

CAPUT XI.

De Capella Adami.

Descendendo de Monte Calvariae à dextris itur ad Capellam Godefridi Bulionis (de qua infrà) & intratur per portam aliam ad oratorium ubi non appareat aliud, quam una Crux cum sequentibus litteris: N. I. C. O. R. A. appellaturque Adami, quia communis est traditio hic ejus caput fuisse tumulatum, monstraturque locus in angulo Oratorij sub monte Calvariae, & quidem sub ipsomet loco, ubi fixa fuit Crux cum Redemptore. *Hic volebat suspendi Medicum, ubi Adam fuit egrotus.* Ita SS. PP. Si curiosè inquiras, quomodo, aut quando huc Adami caput fuerit transportatum? paucis respondebo Moysis Boraffi Sirij verbis, Scriptoris celebris: *Noë plantans multas Cedros prope Sodomam in Valle illustri, quæ serviebant pro Arca fabricanda, quam intrans portavit secundum & corpus defuncti Adamis sepulti in Hebron: & iterum egrediens post Diluvium ex ea, distribuit ejus ossa inter suos filios.* Sem autem Primo-genito dedit caput Adami, qui illud sepeliendum ad Montem Calvariae portavit. Sedes Apostolica honoravit hunc locum Indulg. 7. an. Sequuntur immediate ad portam primam tumuli sepulchram, per modum arcarum, duorum Fratrum, Primorum Regum Christiano-Hierosolymitanorum, Godefridi & Balduini. Exeundo hunc locum, à dextris ad parietes muri & chori Græcorum, ad sunt aliæ tumbae Regum, & suorum Filiorum.

CAPUT

C A P U T XII.

De Petra Unctionis.

Postquam Redemptor noster in Ara Crucis Spiritum in manus Patris reddidisset, Joseph, cui associatus erat Nicodemus, cum Joanne, Maria Magdalena (creditur) & Matre ejus SS. an- nuente Pilato deposuerunt corpus, & huc apportantes, antequam sepelissent, unguentis, mixtura Myrrhae, & Aloë, super petram li- niverunt. Petra verò qua hodie videtur, non est ea, super quam illud unixerunt, nam propter indiscretam peregrinorum devotio- nem (qui eam per particulas rumpebant, & pro maxima devotio- ne ad propria reportabant) Anno 1555. gubernante Reverendissi- mo Patre Bonifacio, marmoreâ tabulâ, illa genuina cooperata est. Super hanc superiorē petram sunt expressa Insignia Terræ san-ctæ, sunt autem quinque Cruces. Ad alteram partem Insignia Re- ligionis nostræ Seraphicæ, longa est palm. 8. & dimidij, lata trium, cinctaque est quasi aliquâ pergulâ, vel potius crate ferreâ, cujus al- titudo palmi dimidij. Hæc petra videri potest quotidie per por- tam illius Basilicæ, & concessa est, Indul. Plen. A Petra Unctio- nis paululum recedendo adest locus, in quo secundūm consuetu- dinem Judæorum à viris separatae Mulieres amantes JESUM (Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria:) stabant, nol- lentes ab Eo separari. Locus iste opertus est rotundo albo lapi- de, ex quo loco commodè videre poterant, dum Eum ungebant, & portabant ad sepulchrum. Matth. 27:

TRACTATUS VIII.

Describens Sanctissimum Domini No- stri JESU Christi Sepulchrum, aliisque ve- neranda Sanctuaria.

Providentia Divina omnibus rebus quidem consulit, & prote- git servos suos, qui speraverunt in Eam, nec dat sanctos suos videre corruptionem: uti Jonæ Prophetæ in mare projecto pro- vidit
G 2

vidit Cete: Pontifici Clementi præparavit ædiculam: ità Filio—
suo præparavit Sepulchrum, quod ante promiserat per vaticinum
Prophetæ: *Erit Sepulchrum Ejus gloriosum.* De hoc tetigimus jam
aliquantum, dum de augustissima Basilica, in qua illud contine-
tur, egimus, aliqua tamen hīc addere pro majori declaratione ne-
cessē judicavi. Pro qua sit

Iſaiæ 11.

C A P U T I.

De Sanctissimo, ac gloriosissimo D. N. JESU Christi Sepulchro.

Marcii 15.

Sanctissimi Sepulchri Salvatoris Nostri subsistentia, est circum-
data suprà mentionatâ Basilicâ, cuius formalis structura est ad
modum Oratorij alicujus, ad partem occidentalem quadrum re-
præsentans, ad orientalem verò medio-orbiculatam: de petra ex-
cisum, cum frontispicio semi-sphærico concavo, & à pavimento ele-
vato in altum 10. & latum 6. palmis. Ipsum autem Sepulchrum,
quod est in forma alicujus tumbæ, collocatum est ad partem se-
ptentrionalem politissimo marmore coopertum; hoc servit pro
missis celebrandis, & una quotidie solemniter decantanda, ex pri-
vilegio de Resurrectione Domini. Propè ostium adsunt 2. fene-
strellæ quæ vix apparent, nisi bene obſerventur. Item lapis qui
ſerviebat pro meliori & firmiori ſuſtentaculo alterius magni lapidis,
qui occludebat oſtium monumenti, de cuius revolutione ſollici-
taꝝ erant 3. MARIAE, quæ cupiebant in ſepulchro videre JESUM
dicentes: *Quis revolvet nobis lapidem, &c.* fed eō pervenientes jam
viderunt revolutum lapidem, & Angelum ſedentem ſuper illum,
qui dixit eis: *Nolite timere, ſcio enim quod JESUM queritis, &c.* Su-
per illum minorem Angelus ſedit; quem hodie ad oſtium, inter-
vestibulum Sacri Sepulchri Fideles p̄e oſculantur. Ille magnus
eft ruptus per Armenos, & transportatus ad domum Caiphæ, ſeu
ad Eccleſiam eorum in territorio Montis Sion, qui ſervit pro altari,
magis tamen post altare collocatus, & obmurus manet. A fo-
ris ſimiliter iſtud Sanctissimum Sacrarium eft diversimodæ appa-
rentiæ, nam ad Occidentalem plagam eft octo- angularis, ornatum
octo columnis marmoreis palm. 10. altis, latis verò trium, circum-
feren-

Marcii 16.

ibidem.

ferentia cum suis pedibus & capitellis, distantia unius ab altera 6.
palmis. Suprà has tornix elegantissimè fabrefactus, qui totam
illam machinam cingit, èstque tam intùs quam foris modò pro-
portionatò tabulis adornatus marmoreis; tectum ejus est totum
planum (exceptâ cuppulâ, seu turriculâ) plumbò coopertum,
quod sustentatur columnis duodecim, de monte Sinai ad hoc ex
professo à Græcis advectis; vertex seu summitas cuppulæ est ro-
tundo - semi - sphærica. Sub hac cuppula est foramen pro fumi
transitu à tot lampadibus Principum Christianorum in SS. Sepul-
chro ardentibus, utì Augustissimi Imperatoris, Catholici Regis,
Hispaniarum, Christianissimi Regis Calliarum, Regis Portugalliarum,
Reipublicæ Venetiarum, Reipublicæ Genuensis, Ducis Sabaudiæ,
&c. Hic pretiosissimus Thesaurus (intellige genuinum SS. Sepul-
chrum, ad quod corpus JESU depositum fuit) ab illo tempore,
quo S. Helena eum exornavit, tantùm duabus vicibus, à duobus
S. Montis Sion Guardianis fuit apertus cum maxima fidelium
consolatione. Primâ anno 1501, dum fuisset Guardianus P. Mau-
rus Legatus factus à Canarro Soldano Magno Ægypti ad summum
Pontificem in certis negotijs, quæ intercesserunt inter hunc Solda-
num & Regem Portugalliarum. Supradictus igitur Pater antequam
discessisset, supplicavit, & facultatem obtinuit à Soldano aperien-
di, & videndi sicuti est, adorandique illud Sanctissimum sepul-
chrum, ut se muniret hoc favore Divino, sicuti viatico, pro tanto,
& tam periculo itinere: Sacratissima ergo Arca aperitur, in qua
Redemptoris Nostris tribus diebus requievit Corpus, quam ille
cum alijs Fratribus vidit, & gavisus est. Supplicavit ulterius ut si-
bi liceret accipere unam tantùm marmoream tabulam, quâ operie-
batur illud Sacro-sanctum Depositum, quod æque facile obtinuit,
ignorante Soldano mysteria Divina sub hac petra latentia. Con-
solatus itaque gratijs, & favoribus, tot Regibus & Principibus non
concessis, nec à tot retrò sacerulis, apertis, discessit ex S. Civitate,
portans secum Thesaurum, id est illam tabulam, quæ longa fuit
3. palmis & mediò, lata uno & dimidiò, quam in quinque partes
divisit, & Romani veniens unam summo Pontifici præsentavit,
tunc Julio II. Alteram Eminentissimo Cardinali Bernardino Ca-
ravaiale Ordinis nostri Protectori. Tertiam Isabellæ Reginæ

Castellæ. Quartam Eminentissimo Cardinali Francisco Xeme-
nez Archi-Episcopo Toletano, qui quoad vixit, semper super-
eam celebravit, & ante suam mortem testamento Ecclesiæ Cathe-
drali legavit. Quintam, Emmanueli Regi Portugalliaæ. Qui
thesaurus ab omnibus suprà nominatis devotissimè suscep-
tus, &
omnibus gemmis pretiosissimis præpositus fuit. Secundâ vice
apertus fuit anno 1552, sub gubernio Reverendissimi P. Bonifacij
de Raguza, quam apertione idem Pater describens, & quæ in ea
acciderunt sequentibus declarat. Quandoquidem esset necessa-
rium totam illam fabricam, vetustate ruinam minantem, depone-
re, ut erigeretur firmior, & stabilior nova, apertum fuit SS. Sepul-
chrum in una petra incavatum, suprà quam apparebant picturæ
duos Angelos repræsentantes, ex quibus unus tenebat verba se-
quentia: *Surrexit, non est hic.* Alter ostendendo SS. Sepulchrum

Marci 16. dígito: *Ecce locus ubi posuerunt eum.* Urgente igitur necessitate
amovendi unam tabulam ex alabastro, quam S. Helena posuit su-
prà sepulchrum pro commoditate celebrandi sacrificia Missæ, vi-
sus est locus sacertrimus, in quo jacuit 3. diebus Filius DEI, factus
Homo, quasì aperti fuissent cœli. Resplendebat autem quasi ra-
dijs solis illustratus, cum sacratissimo sanguine JESU Christi mix-
tum unguentum, quo erat pro sua sepultura delinatus; quod nos
proprijs manibus accipientes, cum Spiritu jubilo adoravimus, &
lachrymas præ devota teneritudine fudimus. In medio hujus
Sacrosancti Loci invenimus partem ligni pretiosò involutam su-
dariò, quod dum elevavimus, illicò ab oculis nostris velum dispa-
ruit, remanentibus tantùm in manibus nostris aliquo aureis filis.
Videbantur in eodem loco aliquæ litteræ, sed ita antiquitate
consumptæ, ut impossibile fuerit distinguerre aliquam syllabam,
quamvis in principio suprà pargamentum repertæ sint sequentes:
Helena Magni. Ex quo potuimus inferre, sed non affirmare, quod
fuerit illud salutiferum S. Crucis lignum, quod repertum à piissima
Regina, collocatum est in S. Civitate, ut testantur sacræ historiæ.
De quo partem reliquimus Hierosolymis in templo Apparitionis
JESU Matri suæ, supra altare consecratum in honorem S. Crucis.
Alteram Romam portavimus, ex qua factæ sunt parvulæ, ex qui-
bus obtulimus unam summo Pontifici Pio IV. reliquias Eminentis
Cardi-

Cardinali Carpio de Ara Cceli, ultimam partem pro nobis servavimus, quali utimur dum celebramus. Hæc ille. Inter alia refertur quoque à fide dignissimis, quod Bassa quidam, rediens Meccha à sepulchro Machometi sui, & intrans Salvatoris nostri, dixerit: Modò cognosco, ubi purus homo, & ubi quasi DEUS & Homo. fuit sepultus: his dictis Hierosolymâ se expedivit: quo? Et vera vix aliquis primâ vice intrans eō, finē lachrymis egreditur.

C A P U T II.

De Sepulchro Josephi ab Arimathia.

Pietas quam fecit nobilis Decurio nomine Joseph ab Arimathia, nota erit omnibus, qui non solum de Cruce depositum Redemptorem, sed etiam suum ei cessit sepulchrum. Fuit hic de civitate Rama, officium Decurionatū gerens Hierosolymis, qui videns tanta prodigia à Christo, adhuc vivente facta, in Eum credidit, & hunc locum, quem pro se præparārat, cessit pauperi JESU, qui sicut in nativitate non habuit, ubi Caput, ità post mortem ubi corpus suum reclinaret: quā pietate factā, in eodem horto excidit sibi aliud in petra retro secus JESU Sepulchrum, quod usque in hodiernum diem cum magno honore omnes Fideles reverentur.

C A P U T III.

De Loco.

Ubi Christus apparuit Mariæ Magdalense.

In distantia circiter 50. palmorum inter pavimentum apparebat marmor rotundum, ubi in forma Hortulanæ apparuit post Resurrectionem suam Christus, quam & dulciter allocutus est: *Maria: Illum cognoscens, volebat ad pedes Ejus procedere & amplecti, sed prohibita: Noli me tangere, nondum enim ascendi.* Fuerunt & alia dulcia cum JESU colloquia, quæ in Evangelio signantur. Indulg 7. an. Immediatè penes hunc reperitur aliis similis præcedenti lapis, quō locus est Signatus in quo Maria Magdalena stabat, quando colloquebatur cum Christo, & hinc 7. an.

Marci 16.

an. Ind. Ad manum dexteram hujus lapidis, est altare in honorem hujus sanctæ, nam in ipsomet loco, in quo illa stetit, erigi non potuit, quia fuisset impedimento viæ ad nostrum Oratorium.

C A P U T IV.

De Oratorio Fratrum, & Loco Apparitionis Christi Matri suæ post Resurrectionem.

Nondubito omnibus notum esse, Fratres nostros ordinariè occlusos esse in Basílica SS. Sepulchri duodecim, vel plures cum peregrinis (si adsint) pro assistentia, & vigilantia ad SS Sepulchrum, Montem Calvariæ, & alia ibidem contenta Sanctuaria, à quibus diu, noctuque officia peraguntur Divina, minimè solliciti de alijs; nam & ipse cibus jam coctus eis præbetur ex Conventu S. Salvatoris, per duos Fratres quotidiè portatus. Quantum ad commoditatem habitationis non potest fieri sicut in alijs Residentijs; in hoc tamen gaudent, quod sicut sanctaria, ita potiorem præ alijs Nationibus obtinent partem, habendo sub sua Jurisdictione galleriam vel pergulam superiorem corporis sphærici Ecclesiæ, cum Residentia antiquo-Parochiali, quæ respicit chorū Græcorum, multumque servit pro commoditate in occurrentia concursu Peregrinorum. Item Refectorium, ubi in concursu Fratrum commodè requiescunt duodecim & ultra, præter cellulas asseribus una ab altera separatas, pro Fratribus ibidem de familia commorantibus. Specialissimè autem gaudent pulcherrimo Oratorio cum choro 40 palmorum longo, & 30. circiter lato, cum admirandis, licet antiquis picturis, Passionem, mortem, & Resurrectionem Domini expressivis, cum 3. versu orientem altaribus: ad dextrum latus columnæ Flagellationis, de quo suprà dixi Tract. 6. c. II. ad sinistrum S. Crucis, in medio ubi conservatur SS. Sacramentum habens cuppulam, & desuper fenestram lumen administrantem, denominatürque Apparitionis; quia hic post suam Resurrectionem Christus præ omnibus primò apparuit Matri suæ, salutans. Eam dulcissimè: *Salve sancta Parens.* In cuius mysterij memoriam multa ibi continuò lampadarum pendent luminaria. Plen. Ind. Huc se mater mœstissimâ recepit à Sepulchro Filij sui, stante in conve-

convenientiā remanendi inter Guardiam Militum illud custodientium Ità Evthymius, Antoninus, usūsq[ue] antiquus Patriarcharum, ac totius Cleri S. Civitatis, qui omni anno post Paschale festum, seu officium, processionaliter vadit ad hoc Altare pro solemniter decantando: *Regina Cœli*: & Fratres ibidem comorantes omni die post Completorium *Gaudet Virgo*; ut habetur infrā in Hymnario ad finem posito.

C A P U T V.

De Altari S. Crucis.

Ad sinistram hujus majoris Altaris positum est tertium Altare S. Crucis intitulatum, quia creditur quod hic Heraclius Imperator deposuerit partem Crucis anno 628. quæ postea 1517. cum ex mandato Solimanni Turcici Imperatoris omnes fratres essent incarcerati, deperit, nam cum sanctuarijs omnibus, debuerunt consignare claves Armenis, qui sacrâ Cruce acceptâ in suam transportavere patriam, quæ tamen agente vigilantissimo Praesule Patre Bonifacio de Raguza, non sine sudore, & magnis expensis fuit recuperata. Alterâ verò factâ incarceratione, quam passi sunt pauperes Religiosi tempore belli in Cypro, fuit secundò ablata, nec amplius reperta. Nihilominus iste S. locus est thesaurizatus duabus alijs portionibus SS. Ligni, unâ ab Augustissimo Imperatore: altera à Christianissimo Galliae Rege, quæ publicæ adorationi cum magna pompa exponuntur in festo S. Crucis, una in hoc Oratorio, altera in loco in quo Crux reperta fuit à S. Helena. In eodem Oratorio Fratrum nostrorum videtur pavimento infernum marmor, rotundum, cinericij coloris, latum per diametrum 4. palm. pro signo positum, quod hic ad tactum ligni sancti resuscitatus fuerit mortuus virtute S. Crucis, sicut canit Ecclesia: *Ad Crucis contactum resurgent mortui, & DEI Magnalia referantur.*

C A P U T VI.

De medio Terræ,

Scriptum est Ezechielis 5. Operatus est salutem in medio terræ. In H Græco-

Græcorum Sacello vel Oratorio propè portam, quæ respicit SS. Sepulchrum, infixus est clavus, in signum, ibi esse medium terræ: nec repugnat veritati, cingitur enim à parte Orientali, plagâ, quæ dicitur Asia: ab occidentali, Europâ: à Septemtrione, Scythâ, Armenicâ, & Perside: à meridie Lybiâ, & Africâ, in medio igitur Gentium positus hic locus.

C A P U T VII.

De Anniversario funerali Christi.

NEfas duxi præterire dolorosam repræsentationem, quæ agitur omni anno die Veneris sancto. Convenientibus itaque pro hac die ad Basilicam SS. Sepulchri Fratribus ex diversis Conventibus, præsertim ijs, qui nunquam huic actioni adfuerunt. (nostrum erant 80. anno 1710.) præter Parochianos, & Peregrinos Orientalis & Occidentales cum magna multitudine Græcorum, Armenorum, Surianorum, &c. qui turmatim confluunt ad tam devotas spectandas cærimonias: Vespere induit Reverendissimus P. Guardianus (meo tempore fuit Laurentius à S. Laurentio ex Provincialis Romanus) nigro Pontificali, id est, amictu, alba, pluviali, insula, & Pastorali, cum uno Assistente in pluviali, & duobus Diaconis, aliisque ministris in nigro vestitis, reliqui omnes superpelliceis intortitia manu gestantes accensa, vasa item cum ampulla argentea liquores odoriferos continentे; Præcedente uno devoto Sacerdote nudis pedibus cum Cruce, & figura Christi pendentis. Initiatur Processio, in qua ad diversa sanctuaria fiunt, diversis linguis, conciones septem. Prima in nostro Oratorio Idiomate Italico suprà mysterium ad Columnam Flagellationis Christi: quâ finitâ vadit Processio ad Capellam Divisionis vestimentorum, ubi super unum gradum, Concio Gallica. Post hanc procedit ad columnam Improperiorum seu salutationis: Ave Rex Judæorum: super quod mysterium Concio Hispanica, quâ terminatâ ascendit, discalceatis omnibus, Mons Calvariae, ubi Crux devote collocatur ad locum, ubi Redemptor noster diris affigebatur clavis, super quod mysterium

rium Concio Gallica. Cruce inde levata post Concionem, in ipsomet foramine rupis, ubi vera Crux fixa fuit cum Salvatore in ea pendente, collocatur in conspectu omnium in terram prostratorum, tenente Eam sacerdote genuflexo, respicientemque à finistris, & quasi à tergo per totam Concionem, quæ est idiomate italico : in cuius fine ab uno sacerdote parato in Diaconatu voce lachrymosa S. Joannis Evangelium cantatur. Post hæc autem roga-*Joan. 19.*
vit Pilatum, &c. Hic accedunt duo Sacerdotes in vestitu Diaconali cum devotissima modestia-repræsentantes Josephum, & Nicodemum, stantésque modicè ad dexteram post Crucem, supponunt linteolum mundum, præcingentes ipso Crucem, & corpus flexibile, adaptatum jam super eam, levantes primò ex Eius Capite spineam Coronam, & Clavos, incipiendo à manu dextra, ex posteriori parte modestè percutiendo : deinde à finistra ; ultimò ex pedibus ; quæ omnia singillatim præsentando monstrant non sine lachrymis, spectantibus turbis, quibus osculatis in præparatam reponunt scutellam, defactò nunquam in nostris partibus visa cærenonia, sed imitatione dignissima, quia ad vivum repræsentatur actio illa, facta à Josepho, & Nicodemo, cum alijs circumstantijs tempore mortis Christi occurribus. His peractis reponunt, seu potius dimittunt moderatissimè Corpus forma Christi Crucifixi super linteum præparatum, consignantes illud quatuor ad id præparatis Religiosis, cum quo (nudâ præcedente) descendunt ex Monte Calvariae processionaliter versus Petram Unctionis demissâ & lamentabilivoce canentes: *Miserere mei DEUS*, &c. quô super Petram positâ, illud perungunt liquoribus, & aromatibus odoriferis, uti fecerunt Joseph & Nicodemus, quasi inbalzamando cum tanta gravitate, & devotione, ut non solùm Catholicis, sed etiam Schismaticis, & Hæreticis lachrymæ erumpant : hic sexta Concio Arabica, in qua mysteria Passionis Christi proponuntur; quâ absolutâ levatur Corpus illud cum linteo, & portatur ad sepulchrum, in quo Salvatoris Nostri tribus diebus jacuit, apud quod Concio Hispanica, ibique tota nocte & sequentibus diebus adoratur expositum SS. Sacramentum, cui alternatim genuflexi duo Religiosi assistunt. In hac descripta processione graves Turcæ assistantiam præstant, minando turbas, quæ toties cum lachrymis approximan-

tes cupiunt Crucem, vel saltem vestem portantis Sacerdotis, aut eorum, qui Corpus cum linteo portant, oculari. Hi verò Turcæ torum hoc cum tanta (si non licet dicere penvotione) modestia; ac si ipsi quandam internam haberent compassionem, peragunt. Imò à fide dignis Confratribus mihi narratum fuit, quod sub Concione quidam Genitcer exclamatione: *Revera iſte bonus vir, multa mala perpeſſus eſt, ab iſtis malis Hebræis.*

TRACTATUS IX.

In quo Plateæ, seu Fori extra Basilicam
Sanctissimi Sepulchri, & aliorū circumadjacentium
sacrorum locorum deſcriptio continetur.

CAPUT I.

De Platea Templi SS. Sepulchri.

Platea, seu forum (ordinariè enim ibi diversa exponuntur vernalia) Templi Resurrectionis Dominicæ, situatum est ad Plagam meridionalem, cuius amplitudo facilè capere potest 3000. hominum, totum stratum est marmore. Ex hoc clare videtur frontispicium fabricæ illius magnificentissimæ cum porta eminenti, & lata, quæ inferius habet fenestrellam, per quam introspicitur præfertim ad intra ad Petram Unctionis, & ab his qui sunt foris indulgentia accipitur, colloquiisque cum ijs, qui occlusi sunt habentur, ac cibi ad meridiem & vespereum porriguntur, item aqua ex cisterna S. Helenæ, quæ sub illa Basilica intus (præ cæteris melior) potentibus præbetur. Hæc porta non aperitur, nisi detur unus ducatus Turcis habentibus claves (intellige de apertione privata, id est: si aliquis velit inde exire indispositus; medicinæ enim ibi non subministrantur: vel intrare) necesse est autem hoc ipsum prius notificare Torcimannis seu Interpretibus, qui omnes debent adesse, id est, Francorum seu Latinorum Catholicorum, Græcorum & Armenorum: Pro solemnitatibus verò plus constat. Hoc forum exornatum est multis memorabilibus locis & sanctuaris:

Primò

Primò adeſt prægrandis turris, quæ ſervit pro campanis, quæ licet à potiori furiā Saracenorum, in terram ſit dejecta, in quadro tamen de petra viva cum pretiosissimis politiſſimisque columnis & fornicibus adhuc conſiſtit. In iſto foro fuerunt ſacrificatæ duæ animæ innocentes furore implacabilium Turcarum. Primus fuit Fr. Cosmasgranatinus, qui anno 1599. die Veneris intrando templum Salomonis, incepit Christi fidem prædicare, hic contulſus totus à rabidiſ Machometanis, expiravit, quem capite truncatum ad hoc forum traheſtis, igne cremarunt, deinde Conventum invaſerunt ad fratres omnes trucidandos, niſi Bonitas Divina auxiliata fuiffet, ut non perderentur sanctuaria, movendo corda aliquorum ex primis Turcarum, qui ſe interponentes tumultum fedarunt; Guardianum tamen cum aliquibus Fratribus ad Cadiligmatum duxerunt, non ſinē magna tribulatione & afflitione. Altera fuit devota illa Maria de Portugallia, quæ Hierofolymam veniens inſtillabat Fidem Christi Matronis Machometanis, eisque clandestinè uti & morti proximos infantes earum baptizabat. Hæc demum (dum ſemel P. Guardianus proceſſionaliter Bethphagen in Dominica. Palmarum veniſſet) Evangelica Mulier, extollens vocem de me dio Turbarum contra Machometum, ejusque ſectatores prædicavit: rabidi Turcæ verò mox multis pugnis eam contuderunt, ac in hoc loco combuſſerunt anno 1578. teste Quaresimo, qui addidit & alios ibidem martyrio affeſtos, ſequentiibus relictis verbis: Obraram cum Turcis conſvetudinem, tum etiam ob frequentem Familiæ Hierosolimitanæ mutationem nos latent, quorum tamen nomina in libro vitæ ſcripta ſunt.

C A P U T II.

De Sacello S. Mariæ Magdalenæ.

Vicina huic turri, Austrum versùs, adeſt Ecclesia Græcorum, dedicata DEO in honorem S. Mariæ Magdalenæ cum tribus Altaribus, in medio, hujus ſanctæ, reliqua duo confeccata honori S. Andreæ, & S. Nicolai. Conceſſæ ibidem 7. an. Ind.

C A P U T

C A P U T III.

De Loco Deliquij B. V. MARIÆ.

AD sinistrum latus hujus fori, orientem versus maxima cum de-votione honoratur Sacellum B. V. MARIÆ, dictæ del spasimo, seu deliquio, quod hic passa est Mater Filij Dei dolorosissima & desolatissima, videns crudele illud spectaculum, quando perforabant, & Crucis acclavabant manus Filij sui JESU Innocentissimi. Ad hoc facellum ascendit per quinque gradus de viva petra excisos, estque in ipso montis Calvariae latere dextro, habens fenestram ad locum Crucifixionis. Intrantes hanc capellam præter 7. an. Ind. ibide in concessam, simul ad locum Crucifixionis, & cum Cruce Elevationi orando ad fenestram Plenarias duplices lucrantur Indulg. Ut sit autem Matri Dolorosæ (quæ hic stetit spectans JESUM Crucifixum) perennis honor, & veneratio, hebdomadatim accedunt nostri Religiosi pro una celebranda Missa (saepius pro pluribus) post Missam recitantes Threnum: *Stabat Mater Dolorosa, cum veru & Oratione. Quia verò Mater Christi tempore Passionis Filii sui saepius passa est deliquio, opera dignum judicavi hic speciatim, ubi, & quando passa annetere.*

Primum Deliquium (ex Revel. S. Birgittæ) B. Virgo passa fuit ad primum istum flagellationis: *Ego, inquit, quæ astabam propinquius, cecidi, quasi mortua, & reassumpto Spiritu vidi corpus Ejus verberatum.*

Secundum Cernens Eum oneratum ligno tam grandi, semi-mortua facta est, præ angustia nec verbum dicere potuit. S. Bonavent.

Tertium. Cum venissent ad montem Calvariae, & ignominiosè nudaverunt Filium meum, & ego exanimis facta fui. S. Anfelmus.

Quartum. Cum primus clavus infigeretur Ei, Ego ad primum istum conturbata, cecidi quasi mortua, &c. & non respexi præ amaritudine antequam ex toto affixus erat; surgens verò vidi Filium meum miserabiliter pendentem. S. Birgitta.

Quintum. Quoties audivi opprobria Filij mei, toties animas meas motus est dolore, & quando vidi Filium meum flagellari, & in ligno suspendi, corrui quasi exanimis. S. Birgitta.

Sextum.



Sextum. *Cum Eum clamore valido Spiritum emittere vidit, S. Bonavent. c. 79.*

Septimum. *Cum vidit Eum lanceâ vulnerari, tunc Mater semi-mortua cecidit inter brachia Magdalena. Idem c. 80.*

Octavum. *Cum de Cruce corpus suisset depositum, præ doloris vehementia, & amoris immensitate, quasi exanimis facta est. S. Bernard. de lament. B. V.*

Nonum. *Cum fuit traditus sepulturae, tunc cruciata gemitibus, fatigata doloribus, afflita ploratibus, pedibus se sustinere nequibat, tamen sicut potuit à Mulieribus sanctis adjuta, cunctis simul plorantibus Jerusalem ingreditur. S. Bernardus.*

Denique. *Resurgentे Filio præ nimia debilitate membrorum deficiens pia Mater ad sepulchrum ire nequibat, vox Illi non erat, quia dolore attrita jacens pallebat, quasi mortua vivens, vivebat moriens, moriebatur vivens, nec mori poterat, quia vivens mortua erat.*

C A P U T IV.

De loco S. MARIAE in Golgotha.

Sub Sacello superius descripto, reperitur altera capella obscuræ dicta S. MARIAE in Golgotha, ubi Orientales tradunt cecidisse virginem Matrem totam afflictam, & dolorosam, quando comitabatur Filium suum Crucifixum, & totum languidum. Ulterius progrediendo ad partem australē, adsunt duo Oratoria, unum consecratum S. Michaëli Archangelo cum omnibus Angelis sanctis. Alterum S. Joanni Baptista, concessa ibidem 7. an. Ind. Fuerunt hīc duo Monasteria ædificata, unum à Mercatoribus Amalfitanis: Secundum à pia & liberali manu Devotarum fœminarum, nam & Nostri adhuc invenerunt Abatissam nobilem, Romanam, nomine Agnetem. Tiriis lib. 8. Antonin. 2. part. tit. 17. cap. 19.

C A P U T V.

De Loco Sacrificij Melchisedech.

Suprà modò mentionata Oratoria, in loco tamen Montis Calvariae, vel Moria, reperiuntur alia duo Oratoria; appellaturque

que primum; sacrificij Melchisedech, ob hanc causalem: Quia
hic iste summus Sacerdos obtulit Panem, & Vinum DEO Altissi-
mo, quando obviavit Abrahæ revertenti cum victoria contra qua-
tuor Reges, quos cæcidit prope Damascum, sicut est registratum in
Gen. 14. sacra Pagina. Et quamvis non desint; qui contrarientur huic
opinioni seu traditioni; inter quos Broccardus cum Adricomio;
tamen in gratiam particularium opinionum, non debemus facile
desistere à communibus traditionibus, præsertim, cum & sedes
Apostolica in memoriam facti concedat suas, in hoc loco, spiritua-
les gratias, nimirum 7. an. Ind.

C A P U T VI. De Loco Sacrificij Abrahæ.

Gen. 22. **G**enesis 22. notatur: quod Dominus DEUS præceperit Ab-
raham Patriarchæ, ut suprà montem, caput amputando,
Unigenitum Filium suum sibi immolare et Isaac: *Tolle Filium tuum,*
quem diligis Isaac, & vade in terram visionis. In Hebræo legitur: *Va-*
de in montem MORIA, id est, Calvarium. Extra hunc locum adest
oleaster, in quo loco dicunt Abraham invenisse hærentem vepris
bus arietem, quem locò Isaac jubente Angelo, DEO immolavit,
ex quo desumimus optimam concordantiam figuræ cum
figurato: Isaac cum Christo ad immolandum oblato; cum
hac tamen differentia, quod locò filij Abraham aries fuerit immo-
latus; loco Filii DEI, nemo, sed Ipse solus pro nostris delictis
sua sponte fuerit immolatus: Aries capite vepribus hærebat, Christi
caput spinea corona vinciebat. Virgultum illud arietis, pati-
bulum est Crucis.

TRACTATUS X.

Psalm. 67. **I**NHOC Mons Oliveti Sacratissimus cum sanctuarijs super eum
situatis describitur; hic à S. Propheta nuncupatur: *Mons*
DEI, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est DEO habitare in eo:
Etenim beneplacitum fuit Redemptori nostro ipsum toties suā,
Matriisque suae Amantissimæ, ac charorum Discipulorum illustrare
præ-

præsentia, terminum conversationis suæ in hoc mundo ponere,
& ex hoc ad Patrem in cælum ascendere; qui ut melius conside-
retur, sit

C A P U T I.

De Monte Oliveti.

In terra promissionis multi pingues, & amoeni reperiuntur mon-
tes, celeberrimum tamen Judæa, & Jerusalem obtinet, Mon-
tem scilicet oliveti (tacendo alias inferiores) quo S. Civitas fœ-
cundatur. Hic ad orientem Hierosolymæ alias suâ eminet alti-
tudine, pinguedine, & fertilitate, propter multas in eo crescentes
oleas, & segetum fructuositatem. Dixi altum, ex ipso enim (quod
non est concessum alijs) apparet non solùm tota Civitas sancta, &
Salomonis templum, sed etiam Arabici Montes ; imò serenô cœ-
lô, ipsum Mare mortuum.

Distantia ejus à S. Civitate Sabbathi habens iter, quod in-
telligitur medium milliare germanicum ; nam ex lege Hebræis
tantum licebat in Sabbatho ambulare, & non ultrâ, tanto enim
spatiô antecedebat Arca DEI, tantóque intervallô (quibus id fas
erat) in Sabbatho eam movebant. Ex hoc monte Titus maxime
oppugnabat Hierosolymam, imò & nostri cum Godefrido & Bal-
duino ; Hic JESUS cælum ascendit, stolâ immortalitatis induitus;
in hoc universum mundum judicabit Judex Justus; Hic omnes
Fideles peculiari afficiuntur lœtitia, adorantes in loco ubi stete-
runt pedes JESU, quorum expressa vestigia cum dulcissimis oscu-
lantur lachrymis. Hic anno 1710. meus amantissimus Compere-
grinus P. Augustinus ex Provincia Seraphica cum lachrymosis sin-
gultibus figens amorissima oscula cum S. Simeone cupiens dis-
solvi, & esse in Cœlo cum Christo exclamavit. Ah! nunc dimitte
servum tuum, &c. Suprà ista sanctissima vestigia, fuit erecta à S.
Helena prægrandis Ecclesia, sed post illatam circa annum 240. à
Saracenis ruinam, fabricata est alia Capella Octangularis ex vivis
petris, affabre ornata elegantissimis columnis. Ad ejus dextram
fuit Monasterium Ecclesiæ contiguum; modò 50. circiter passi-
bus distans est ædificium honestum, sed prohdolor ! habitaculum
Santo-

Suid.a.c.6.

Act. 1.

Quarefi-
mus.

Santonum, qui nihilominus nostros Religiosos liberè, & Peregrinos intrare (dato medinò, seu duobus cruciferis) finunt ; imò me cum socijs sedentem ultrò invitârunt, portam aperientes. Petunt tamen à nobis aliquam discretionem ; partem panis, acum, vel candelam sîne coactione.

In Vigilia Ascensionis Domini Vesperæ cum Completorio, & mediâ nocte Matutinum cum Missa Solemni, & pluribus privatis, ac Concione persolvuntur. A S. Salvatore adveniunt Patres, & conveniunt item eō diversæ Nationes & seclæ. Planta dextri pedis D. N. JESU Christi super petram expressa, ablata est, conservaturque in templo Salomonis. Sinistra verò intacta in hoc sancto Monte honoratur. Stabat autem JESUS SS. pedibus & vultu ascendendo in cœlum ad Occidentem versùs, ut ex plantis & vestigijs cernitur, quasi Europam nostram suis Divinis oculis aspiciens, & quod contemplans Livius eleganti epigrammate L. 2. triumphi D. N. JESU Christi sic affatur.

Discedens Latium spectans, ubi ponere petram
Constituit, præstet qua tua nixa domus.
Ter felix Latium, miserando quod a spicis, ora
Obtutu, facta est nostra beata, tuo.

Breviter ergo dum Christus modo illo ascensionis suæ gloriose Montem oliveti condecoravit, indicare voluit Ecclesiam suam, ex gentilibus congregandam in Occidente, & Urbe Roma suprafirmam petram fundandam fore. In isto monte probabiliter Antichristus, ut se DEUM ostendat, & Messiam, cælum ascendere tentabit ; sed ut Isaías testatur : *Præcipitabit Dominus in monte S. faciem Dominatoris tenebrarum super omnes gentes. Indulg. plen. perpetuæ in suprà dicto sanctuario.*

Isaiæ 25.

C A P U T II.

De Loco, dicto, Viri Galilæi.

Procedendo ad Aquilonem hujus S. Montis, à dextro latere est cacumen alterius montis, quod Viri Galilæi, vel Galilæa nuncupatur ideo, quia hic hospitio Galilæi recipiebantur (non intelligi-

telligenda hæc Galilæa, in quam JESUS se præcedere Discipulis—
prædixerat ex hoc loco, Viri Galilæi id est, Apostoli cælum ascen-
dente contemplati sunt JESUM, & duos viros, id est Angelos, *Matth. 26.*
audierunt sibi dicentes: *Viri Galilæi, quid admiramini, &c. medio Aet. 1.*
quasi millario italico distat à loco Ascensionis Domini,

C A P U T III.

De Sepulchro, & Antro S. Pelagiæ.

Redeundo à loco Viri Galilæi penes montem Ascensionis—
Domini post passus paucos, obviat parvus vinculus, & con-
sistit in tribus habitaculis, vocaturque cella S. Pelagiæ, quæ hic
conversa ad fidem à Nono Episcopo Edeffano, & ut Monacha ve-
stita, austera vitam in hoc loco duxit, & 8. Octobris ad Domi-
num transivit. Hic locus versus est in Oratorium in honorem S. Pœ-
nitentis dictæ, nunc verò in Moscheam, & cùm Turcæ possideant,
intrare non licet; foris tamen 7. an. Ind. conceditur.

C A P U T IV.

De loco, in quo Angelus B. V. MARIÆ prædi- cens mortem, Palmam obtulit.

Intr acervos lapidum progrediendo, parum distans occurrit
locus illustris sessionis B. V. Mariae (cum omnibus enim ori-
entalibus credimus, quod MARIA virgo à tempore Ascensionis Filij
sui usque ad suam dormitionem, sæpiissimè hunc locum cum cæteris
visitaverit) in quo illa rediens ex monte oliveti languens Filij sui
amore quievit, ad quam venit Angelus, nuntians ei diem transitus
sui ad Filium, cui & palmam, quam è cælo tulerat, obtulit; quam
postea Joannes Apostolus ante feretrum portavit ad sepulchrum
ejus in valle Josaphat. Ita Bonifacius, qui & subdit: Tria ibi per
Angelum à Filio in cælis regnante petijisse, & obtinuisse. Primo ut
omnes sancti Apostoli Ejus dormitioni adessent, qui erant dispersi
per diversas mundi partes in prædicacione Evangelij. Secundo:
nè horâ sui transitus videret Satanam. Tertio: ut Idem Christus
de cælo descendere dignaretur ad Domunculam Montis Sion, in
qua—

qua Ipsa morabatur pro deferenda anima sua in cælum, 7. an.
Indul.

C A P U T V.

De Loco, ubi prædixit se Christus judicaturum
universum Mundum.

Vicinus huic visitatur locus aliquantulum descendendo per
viam rectam, ad dexteram in campo eminentiori signatus
per arborem olivarum, & traditur, quod in hoc loco Dominus
noster JESUS Christus Apostolis prædixerit se judicaturum uni-
versum mundum, & ruinam Civitatis, 7. an. Ind.

C A P U T VI.

De Loco, ubi Christus Pater noster docuit
Apostolos.

Transcendendo per acervum lapidum ad sinistram partem in-
veniuntur rudera antiqui Oratorij, extructi in memoriam,
quod hic Christus iteratò modum orandi docuerit, id est, *Pater no-
ster*. Dicit iteratò, quia certum est prius tradidisse eandem for-
mam in monte Thabor, vel in alio Galilææ montium, sed vel om-
nes obliiti, vel aliqui ex Discipulis iterum petierunt repetitionem.
Nec talem oblivionem, & naturalem imperfectionem, videtur in-
conveniens, cecidisse in Apostolos, cum majoribus laborarent
ante Adventum Spiritus sancti, de quibus toties à Christo repre-
hensifuerunt. Aliqui tamen cum Beda Aduminano, &c. tradunt,
hoc idem fecisse totum ubi prædicebat universale Judicium.

C A P U T VII.

De Loco, ubi SS. Apostoli symbolum Fidei
composuerunt.

Pre eundem campum, vel viam descendendo quantum est ja-
etus lapidis in eadem sinistra sine gradibus descenditur sat
difficulter ad grottam, in qua eleganter in petra excisa sunt ora-
toria

toria duodecim in honorem duodecim Apostolorum, qui ibidem
duodecim Articulos fidei, seu *Credo* composuerunt. 7. ann. In-
dulg.

C A P U T VIII. De Sepulchro Prophetarum.

PAULisper continuando eandem viam, reperitur trāmēs, quem
sequendo ad aliquot passus, intratur per foramen quoddam,
accensis luminaribus propter obscuritatem ejus, quoddam antrum
amplissimum. Sepulchrum Prophetarum nuncupatum, in quo mul-
ta mirabilia loca, & cellæ subterraneæ cernuntur, de petra excisæ.
Est locus permodum alicujus magni Conventūs elaboratus. An
aliquid corpus ex sanctis Prophetis hīc fuerit tumulatum: sit fi-
des penes credentem. Aliqui ex Pijs erga SS. Prophetas asserunt
hoc antrum in honorem ipsorum excavatum fuisse.

C A P U T IX. De Villa Bethphage.

DE Castello, *quod contra vos est*, ad quod misit duos Discipu-
los pro adducenda asina & pullo, nullum vestigium appa-
ret (creditur autem elongatum fuisse à Bethphage uno quadrante
milliaris) ideo silentiō prætereo. Porrò ad duas circiter arcūs
vibrationes revertendo sursum versus montem oliveti, ad partem
orientalem inter duas valles, collapsæ villæ Bethphage monstran-
tur fundamenta: hujus villæ usus fuit concessus Sacerdotibus, non
tamen dominium ut habetur Num. 35. v. 2. *Præcipe filiis Is-
raël.* Hīc Salvator noster pro solemnī Hierusalem ingressu super
asinam sedens, occursum multæ turbæ habuit, clamantis: *Benedi-
ctus qui venit, &c.* qui pertingens ad montis descensum, videns ci-
vitatem flevit super illam. Actio hæc, plena est divinis mysterijs, *Matth. 21.*
& Dominicā Palmarum fuit immitata à nostris fidelibus, Reveren-
dissimo P. Guardiano cum suis fratribus præeunte, qui sedens su-
per asinam Rocheta, seu Præsulari superpelliceo indutus, palmam
que manu gestiens procedebat cum turba fidelium populorum, ac

Num. 35.

iliarum sectarum. In Bethphage cantabatur Evangelium. *Cum appropinquasset JESUS, &c.* Et cum Diaconus pervenisset ad ea verba: *Mittens duos ex Discipulis suis, &c.* Guardianus jussit duos Fratres adducere asinam, & interim Concio siebat, post cujus finem Fratres imponebant Guardianum super eam; cum per ventum esset ad locum ubi JESUS flevit, secundum Evangelium cantabatur: *Videns civitatem flevit, quod finito, continuabant processionem sua vestimenta plurimi prosternentes in via, alij flores decerpentes offerebant Guardiano, Christum representanti, in modo plurimi animalculum osculantes, amplexabantur praे devotionis teneritudine, declinando omnes ad ecclesiam S. Salvatoris.* Hæc devo-
tio duravit usque ad annum 1648. Hebrei indignè ferentes, cum eorum legi præjudicet, institerunt apud Bassam fortiter pro ea tol-
lenda, quod, & obtinuerunt, præsentantes magnum Saccum aureo-
rum. Modò tantum ad hunc locum vadunt Fratres cum populo quando festa agunt in Bethania, id est, in festo Mariæ Magdalenaë, & sexta feria ante Dominicam Passionis, 7. an. hic Indulg.

TRACTATUS XI. De Castello Bethania, & circumadja- centibus Locis.

Bethaniam hic non intellige illatim, quæ est trans Jordanem, ubi Joannes erat: sed quæ est secùs Hierosolymam, distans quasi stadijs 15. Hæc fuit castellum illarum in Evangelio nobilissimarum Mariæ Magdalenaë & Martha Sororum Lazari, quæ toutes fuerunt à Christo visitatae. Eius terrenum, est contiguum Monti Oliveti, multum fertile, producens omnis generis granum, & fructus, antè fuit Castellum, modò est villa, vel pagus.

CAPUT I.

De Ficulnea, à Christo maledicta.

Inter Hierosolymam & Bethaniam ad medium viæ ostenditur locus maledictæ à Christo ficulneæ ad lœvam modicè extra viam,

viam, quæ arefacta est continuò, quia nullos protulit fructus: quo factò Salvator indicare voluit, se maledictum ijs, qui fructus non proficerunt bonorum operum. In hoc loco, cùm Christi præsentia fuerit dignus, concessa est eum visitantibus. 7. an. Ind.

C A P U T II.

De domo Simonis leprosi.

Antequam Bethania ingrediatur, ad lèvam paucis passibus se offerunt rudera Ecclesiæ, & hic erat domus Simonis leprosi, qui postea à Christo fuit mundatus. Idem Simon hìc convivium fecit Christo, & Discipulis Ejus. Hic mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, fractò alabastri effudit super caput IESU: Quo factò avarus Judas indignatus abiit Hierosolymam ad Principes, pœctus cum illis se traditurum in manus eorum, JESUM si quid illi dare vellent. 7. ann. Indulg. hìc.

C A P U T III.

De Castello S. Lazari.

Praecto itinere quantum bene vibratus pertingit arcus, occurserunt visendæ magnæ ruinæ, & turris antiqua, olim Castellum Lazari, ubi ille erat languens. Hæc turris serviebat Monialibus S. Benedicti pro refugio, & asylo in omnem eventum si invasæ fuissent in suo monasterio à latronibus. 7. ann. Indulg.

C A P U T IV.

De Sepulchro S. Lazari.

Ad dextrum se vertendo latus, visitatur celebre illud antrum, in quo sepultus jacuit Lazarus, quadriduanusque à Christo suscitatus: est oratorium in modum testudinis formatum, in quo adest sepulchrum Lazar. Huc nostri Fratres feriâ sextâ ante Dominicam Passionis, & in festo S. Mariae Magdalena singulis annis ex Conventu S. Salvatoris se se conserunt ad Missam solemniter cantandam & alias privatas persolvendas: Alijs vero diebus visitantur

tantur hæc loca à Fratribus & Peregrinis, qui debent dare medium, frater autem quilibet candelam unam. Clavim ab hoc sanctuario Turcæ conservant, est descensus sat declivis absque gradibus; adest & ibi unus elegans lapis, longus palm. 3. & latus 2. supra quem nostri Patres Missas celebrant, hic serviebat pro cooperatura sepulchri Lazari, qui ad mandatum Christi fuit amotus. Indulg. plen.

C A P U T V.

De domo S. Mariæ Magdalenaæ, & Marthæ, &
de lapide, super quem Christus sedit.

Joan. II, **E**gressi ex hoc sepulchro progrediendo quasi unum milliare italicum ad partem meridionalem, visitant locum pro obtinenda 7. an. Indulg. ubi erat domus Mariæ Magdalenaæ, & Marthæ. In vicino reperitur lapis super quem Christus sedit, quem accedens Martha dixit: *Domine si fuissis h̄c, &c.* Positus est quasi inter duas domus, & est coloris porphyrei, similēmque duritiem habens, per particulas quidem aufertur, non tamen minuitur. 7. ann. Indulg.

C A P U T VI.

De loco, ubi se Christus junxit II. Discipulis.

Luc. 24. **F**initâ visitatione Sanctuariorum, quæ in , & extra Bethaniam reperiuntur, si impedimentum non adsit (quod vix deerit) assumitur iter ad Castellum Emmaus, quod Hierosolymā profici-
scriptibus duobus Discipulis (hi erant ex illis 72) junxit se JESUS, ut scribit S. Lucas, qui ipsem idem erat cum Cleopha, quibus de se, & sua passione cum tristitia sermocinantibus dixit: *Qui sunt hi sermones, &c.* aperiendōque illis Scripturas, cùm jam ad locum juncti erant, finxit se JESUS longius ire, illi verò tam bonum Peregrinum & Comitem nolentes dimittere, placidis verbis Eum coegerunt fecum manere dicentes: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascat:* fuisse tamen JESUM necdum cognoverunt, sed pri-
mō in fractione panis aperti sunt oculi eorum, & Ille evanuit. In hoc

hoc itinere duo notantur. Locus ubi se junxit JESUS illis 2.
Discipulis, & est medium viæ inter Emmaus, & Hierusalem, ubi etiam
fuit eretum monasterium, quod licet modò sit dirutum à funda-
mentis, 7. tamen an. Ind. perseverat. In hujus loci vicinitate adest
fonticulus, ex quo aqua devotè à Christianis bibitur, quia Chri-
stus ex eodem traditur cum illis duobus Discipulis etiam bibisse.

C A P U T VII.

De Villa Balahasor.

Non longè ab hoc S. Loco, ad sinistram ostenditur locus fra-
tricidio contaminatus super montem, cognoscique potest
ex adhuc restante antiqua majestuosa porta, non ascendiendo illuc.
Hic Amon ad convivium invitatus à suo fratre Absolone propter 2. Reg. 13.
oppressam sororem Tamar occisus fuit.

C A P U T VIII.

De Castello Emmaus,

Superatis 60. stadijs, id est, duobus parvis milliaribus germani-
cis intratur Emmaus, quod fuit tempore Christi Castellum.
Hic Romani primò castrametati sunt sub Tito, Hierusalem oppri-
gnaturi, quibus, cùm feliciter successisset, honorarunt illud civita-
tis appellatione Nicopolis dictæ, quæ anno Christi 31. tertæ mo-
tu corruit, derelictaque mansit usque ad Godesfridum Bullioni, qui
eam, occupatâ Hierosolymâ restauravit, & in ea Episcopatum
erexit, noménque Nicopolis restituit: sed nec ab uno, nec ab al-
tero ita honorata fuit, sicut à suo Conditore, quem hospitio rece-
pit, & ille suâ SS. præsentia Castellum benedixit, domumque
Cleophae in Ecclesiam consecravit, in qua postea idem S. Discipu-
lus, qui Eum in fractione panis cognovit, pro Ejusdem confessione
à Judæis Martyr occubuit. Ad hoc sanctuarium omni anno No-
stri Religiosi cum Peregrinis secundâ feriâ Paschatis adveniebant
ad devotiones peragendas, & lucrandas Indulgentias, quæ ibi ple-
nariæ, perpetuoque concessæ sunt: licet Castellum in pagellum

K

con-

conversum. Modò tamen propter exorbitantiam Turcarum, & Nicopolis quasi sepulta jacet.

C A P U T I X.

De Monte Samuelis Prophetæ.

Redeundo Hierosolymam declinando ad sinistram viam, ascenditur Mons Samuelis Prophetæ, in quo secundum Orientalium traditionem hic S. Natalem habuit, vocatûrque Ramatha, seu Ramathain, quod idem ac prospiciens à longè. Habet alias montes circumvicos, ipse tamen peculiari gaudet prospicere per omnes partes Provinciæ, præsertim Gabaon, quod tenet ad Austrum, ubi Josue cum quinque Regum exercitibus decertans, firmavit solem nè occumberet ante victoriam partam. Apparet in hoc monte sepulchrum, vel Moschea, in qua dicunt Turcæ servari ossa hujus S. Prophetæ. 7. an. Ind.

C A P U T X.

De fonte ejusdem S. Prophetæ.

Propè huic Sepulchro, ad septentrionem descendendo, reperiuntur cavernæ duæ, quarum una servit pro bono publico cum sua aqua recentissima. Optimè creditur fuisse fontem S. Prophetæ cùm sancta sedes concedat 7. an. Ind. Quoniam verò uno eodemque die omnia visitari non possunt sanctaria, & loca memoranda, quæ tum in Valle Josaphat, tum circa illam, ac S. Civitatem, consistunt: frequentius exeundo ad sepulchrum B. Virginis, in dicta valle, pro missa celebranda, vel audienda, ac Indulgentijs lucrandis, ad libitum alia assumitur dies pro continuanda visitatione restantium locorum: sit igitur

TRACTATUS XII.

In quo, specificantur sacra, & memoria loca, in Valle Josaphat contenta.

CAPUT

C A P U T I.

De sepulchro Josaphat, & Simeonis.

IN hac sancta Valle paucis passibus à Torrente Cedron adest turris Josaphat, in qua ipsius sepulchrum cernitur: formam verò turris non amplius retinet, sed demissi facelli. Hic etiam aliquo tempore requievit corpus S. Simeonis, qui dignus fuit in ulnas suas suscipere, & amplexari Dominum JESUM Christum, 7. ann. Indulg.

C A P U T II.

De Sepulchro Absolon.

Propè sepulchrum Regis Josaphat, est turris, formam facelli repräsentans, quod (exceptā turri) ex lapide uno sat labiorē excavatum est. Hic fuit sepultus Absolon, qui dum adhuc viveret, hoc opus exstrui curavit: ita Joseph: Hebræus. Absolon erexerat sibi in valle Regis columnam marmoream in septemtrione duobus stadijs ab Urbe Hierusalem, quam appellari voluit manū Absoloni dicens: *Etsi liberos suos perire contingeret, in eo tamen monumento nomen suum perpetuò mansurum:* Modò est à Judæis lapidibus impleta in execrationem persecutionis sui parentis. Penes hunc locum est sepultura Hebræorum, id est inter Sepulchrum Absoloni, & locum suspensionis Judæ.

C A P U T III.

De Antro S. Jacobi.

IN eadem parte vallis, sed in loco altiori, excisa est Ecclesia, vel potius antrum in honorem S. Jacobi, nam creditur S. Apostolum ibi tribus diebus tempore Passionis Christi latuisse. Juraverat enim S. Jacobus se non comedetur panem ab illa hora, quā bibeat calicem Domini, donec videret Eum resurgentem à mortuis. Dominus autem cùm dedisset sindonem servo sacerdotis, ivit ad Jacobum, & apparuit Ei, tulitque panem, & benedixit dicens: *Frater mi, comedē panem tuum, quia surrexit Filius hominis à dormientibus.*

itâ S. Hieron. super Matth. *Deinde vijsus eft Jacobo.* 7. ann. In-
z. Cor. 15, dulg.

C A P U T IV. De Sepulchro Zachariæ.

Hic sequitur sepulchrum Zachariæ, quod excisum est ex rupe
Montis oliveti, formæ quadrangularis, ad radices ejus solo
seu terræ inhærens, parùmque acuminatum ad latus cryptæ S. Ja-
cobi Alphæi. In hoc primùm fuit sepultus, dein in Caffar Dice-
cessis Elevtropolis translatus.

Villa Siloë, cùm potiùs sit modò spelunca animalium: transeatetur.

C A P U T V. De Puteo Noëmiæ.

Hic puteus est angustus, sed altus, & profundus, in quo quasi
semper aqua exuberans irrigat frequenter campos, & hor-
tos vicinos non sìne consolatione incolarum. Huc S. Propheta
misit ad requirendum ignem absconditum, & non invenerunt
ignem, sed aquam crassam: lege 2. lib. Mach. c. 1. *Cùm in Perfi-*
dem ducerentur Patres nostri, &c. in hoc loco Danus curavit extrui
Ecclesiam. 7. ann. Indulg.

C A P U T VI. De Valle Gehennon.

Hanc vocant Hebræi (in qua & sepulturæ eorum) gehennam,
eò quod populus hebræorum ibi perierit offendens DEUM
per immolationem filiorum & filiarum suarum Idolis. S. Hiero-
nymus tympanum interpretatur, quia Sacerdotes tympanum pul-
sabant, ne clamor Idolo Moloc cremandorum audiretur à paren-
tibus idololatris.

C A P U T VII. De Monte Offensionis.

Ad caput montis apparent magnæ ruinæ fabricarum, ubi
erant

erant Palatia, & templa profana, quæ Rex Salomon extruxit pro Concubinis idololatris, templum dedicatum Idolo Chamos pro Moabitis, Moloc pro Amoaitis, quod scandalum extinxit pius. — Rex Josias, evertendo supradicta fana.

C A P U T VIII.

De loco, in quo se Judas suspendit.

Nunc offendit execrandus locus in sinistra parte ad medietatem montis, in quo se Judas laqueo suspendit, diciturque ibi fuisse sicum, quæ servivit pro surca seu patibulo huic Proditori sacrilego, fuit autem sepultus in Haceldama, possidens agrum de mercede iniquitatis.

C A P U T IX.

De Natatoria Siloë.

A Dradices montis Sion restat fons, seu natatoria Siloë, denominata à villa, seu aqua, quam miraculosè subministravit DEUS sicuti Prophetæ Isaiæ, ad confusione carnificum, qui ei haustum negabant. Huc Christus misit cæcum à nativitate, ut se in ea lavaret, qui & sanus factus est. Saraceni lavabant sua corpora pro mitigando foetore hædino. Turcæ verò hac aqua utuntur pro conservatione oculorum. Fuit antiquitus à S. Helena extracta Ecclesia. 7. ann. Indulg.

C A P U T X.

De Sepulchro S. Isaiæ Prophetæ.

In vicinitate hujus loci conspicitur quædam planta, dicta Morus, sub qua fuit sepultus Isaias Prophetæ. 7. ann. Ind. Fuit hic S. Vates à Manasse Rege interemptus, licet fuerit ex parte Matri avunculus. Causa ejus mortis erat, quia Principes, & Regem ipsum propter vitia reprehendebat: *Audite Principes Sodomorum.* Hic fugiens Sicarios, se abscondit inter unam cedrum, quæ ultrò

ultrò aperta S. Vatem recepit; quo miraculo Rex minimè motus,
candem arborem cum S. Propheta per medium ferrâ ferreâ, scindi
jussit.

CAPUT XI.

De fonte B. V. MARIAE.

E Regione montis offensionis ad radices montis Sion versus
Septemtrionem honoratur fons, olim dictus Draconis, nunc autem ab omnibus, etiam infidelibus, fons MARIAE Virginis nominatur: nam & ipsi fatentur ad hunc frequenter Eam accessisse, & lavisse panniculos Filij sui JESU. 7. an. Indulg. Ad hunc descenditur per aliquot gradus marmoreos. Moschea verò superius adest. Hanc aquam bibere non possumus, sed tantum nos ablui-
mus, eò, cùm ibi Machometani, suas vestes fœtidas abluant,

CAPUT XII.

De Latibulis Apostolorum.

A Ntequam perveniat ad agrum sanguinis, occurunt in summitate Montis offensionis quædam latibula, in modum sepulchorum de petra excisa, in quibus latebant Apostoli octo, tempore Passionis Domini. Joannes enim cum MARIA Virgine. Petrus in antro, dicto, Galli cantu. Jacobus in caverna. Dignius præcipue unum est visu, in quo plura sunt loca pro sepeliendis corporibus accomodata. 7. ann. Ind.

CAPUT XIII.

De Haceldama seu agro Sanguinis.

A Ger sanguinis reperitur ad austrialem plagam montis Sion, habens à tergo elevatum collem, primitus erat pauperis figuli, deinde à Judæis, illis 30. argenteis restitutis emptus, in quo hic etiam ipse Traditor sepultus fuit. Hunc agrum S. Helena muro circumdedit, & pro sepultura adaptavit; hodiisque ibidem peregrini sepeliuntur Armeni, quia illum emerunt. Extat ibidem certa

certa Capella corum , quam tamen rarissimè officiant. 7. ann.
Indulg.

TRACTATUS XIII.

In hoc describuntur loca memoranda
ad partem S. Civitatis occidentalem posita.

CAPUT I.

De Monte Gihon.

Exundo hanc vallem, pervenitur ad celebrem montem Gihon, ubi Rex Salomon fuit coronatus ex mandato Patris sui David, est positus in parte occidentali S. Civitatis, proximus sepulchris Turcarum. Fuit hic antiquitus fons delitosissimus, modò tantum apparent antiqui canales, per quos intrabat aqua ad proximam piscinam, quæ hodie mensurata, longa est 140. passibus: lata 100, alta palm. 32. In eodem monticulo adsunt defactæ aliquæ fabricæ, præsertim una quæ servit quasi pro distractione gustuosa, & aura capienda. Si tamen quispiam allegaret prope montem Sion adesse fontem Gihon: non negabo; tamen tam ille, quam hic, appellati sunt Gihon. Scriptura (de quo hic sermo) vocat fontem Rogel, Hebræi fullonis fontem.

CAPUT II.

De Sepulchris Regum.

Unus milliari italico ab Urbe Jerusalem post portam Damasci in plaga aquilonari, declinando parum ad dextram extra viam Damascenam, reperiuntur memorabilia Regum Israël sepulchra; sunt autem in naturali collis rupe excisa subterranea, desuper non pyramides (ut tradit Vilacandus) sed campum habentia: exteriori quædam incisa ornamenta ad formam botri: ostiolum miserrimè elaboratum, & nimis angustum, ita ut per foramen excavatum, non nisi serpendo anno 1710. & 1713. ingressi simus. Continet

tinet quatuor cellas, & in medio alveola, in quibus reponerantur
mortuorum corpora, numerum eorum non notavi: P. Petrus da
Venezia assignat 48. opus sanè Regium, & admirabile.

C A P U T III.

De antro Jeremiæ Prophetæ.

Extra candeni portam Damascenam revertendo ab his sepul-
chris, conspicitur antrum, seu sovea, Jeremiæ nuncupatum,
ideo, quia in eo S. Prophetæ miserandam Jerusalēm deflevit, deva-
stationem, & lamentabilem babylonicam captivitatem, ibique
Threnos composuit cum lamentationibus. Hoc antrum est for-
mæ quadratæ, unicâ columnâ ejusdem rupis suffulcratum, 30. pas-
sus per quadrum continens, inhabitatûrque à Santone, qui pro
una candela Fratres Religiosos, sacerdotes verò pro medino intro-
mittit. 7. ann. Indulg.

C A P U T IV.

De Carcere ejusdem S. Prophetæ.

Jerem. 38. **L**egitur in historia ejusdem sancti, quod prædicando ruinam,
& excidium Civitatis, captivitatēmque Babylonicam, indi-
gnati Principes; Tulerunt Jeremiam, & proiecserunt Eum in lacum.
Melchia Filij Amalech, querat in vestibulo carceris, & submiserunt in
lutum: id est, ait Josephus, in cænosum puteum, ut ibi præfoca-
tus moreretur. Calamitate ejus, motus Evnuchus ex hoc lacu
procuravit liberationem. unde extractus mansit in vestibulo us-
que ad diem captivitatis Jerusalēm, & tunc liber dimissus est à Chal-
dæis. Fuit hæc cisterna mundata operâ S. Helenæ & aliorum
Christianorum, estque in hac nunc copia aquæ, non valet tamen
pro haustu.

TRACTATUS XIV.

De via Bethlehemita, quam non solùm S. Tres Reges, ve-
rū etiam Rex Regum Christus Jesus, cum MARIA Matre sua,
&

& Nutritio Josepho suâ præsentia condecoravit, & consecravit. Hanc describens Adrichomius, sequentibus expressit: Via Bethlehem amœna est valde, vineis, rosis, & herbis odoriferis, atque aromatibus consita. Si verò modernam ejus conspiciamus amœnitatem & conditionem: sunt tantum reliquæ, & vestigia vinearum ut 1701. consideravi; anno verò 1713. nullam amplius vinearum apparentiam, sed segetes vidi uberimas, &c. plana quidem via est, sed laxosa, mentem tamen oblestat ambulantium eam finis, ad quem dicit, quia ad locum spiritualium deliciarum, ad MARIAE & JOSEPHI diversorum, ad locum Natalis Domini, ad Incunabula Christi. Est autem iter eò peregrinantibus per portam occidentalem S. Urbis, quæ etiam appellatur Castelli, & Ramæ: Castelli, quia Castello a Pisanis exstructo ad lœvam vicina est. Ramæ, quia & Ramam dicit. Est & alia via, nimirum per portam montis Sion, sed rarius practicatur.

CAPUT I.

De Piscina Bersabææ.

Immediatè ante portam vertendo se ad finistrum latus, descendendo suaviter deorsum ad dexteram versus meridiem, piscina est Bersabææ propè muros, in qua à Davide concupita Salomonis mater effecta est. Ità Pater Bonifacius. Ego addo piscinam ibi esse, an verò illa sit, in qua se Bersabæa lavit, contendunt scriptores. Post hanc piscinam ad dexteram occurrit vallis, Gigantum dicta, quia hic habitârunt Sisai, Achimeni, Tolmæi, & Enac eorum Pater, viri robusti, à sœculo famosi, & alti, ità quod etiam terreficerint Populum Israël, famâ eorum relatâ ab exploratoribus. Num. 13. Stirpen Enac vidimus ibi, nequaquam poterimus obtinere eam.

CAPUT II.

De Turri S. Simeonis Prophetæ.

Relicta ad lœvam partem villâ mali consilij, ubi primum constitutum fuit concilium pro occidendo Christo, Caipha Præside concludente. Expedit ut unus moriatur homo pro populo Hæc Joan. 11.
villa L.

villa modo inhabitatur à Mauris, unam Moscheam habens. Hac igitur relictâ, conspicitur turris & domus S. Simeonis senis, in cuius brachijs gestabatur Christus; hunc sanctum hic habitasse, est communis traditio; est autem locus ad sinistram extra viam uno millari italico.

CAPUT III.

De Terebintho B. Virginis.

Ultterius iter continuando à dextris aliquot passibus extra viam honoratur locus Terebinthi, sub qua quiescere solebat B. Virgo. Quadam vice dum tenella Virgo è Bethlhem egressa, & unius levæ, seu mil. germanici circiter, laboriosa & faxosæ viæ itinere confecto, ad hanc arborem defessa, pervenisset ac ut desatigatum corpusculum recrearet, sub ea se cum Pueri JESU recepisset, Arbor prænominata velut rationis compos, ac si DEUM suum cognovisset, se tè inclinavit, & ab æstuosis solis radijs defendit. Hæc arbor in magna devotione fuit conservata, quia non unâ vice tantum JESUS cum Matre sua, ibi fuit. Anno vero 1646. ab uno Villano Arabe combusta est, aliqui dicunt ex odio; alij casu factum. P. Petrus da Venezia afferit omnino ex odio à duabus Fratribus machometanis combustam fuisse 9. Junij, qui factum, morte subitanè solverunt: & mihi anno 1710. vestigia villæ monstrata sunt, cujus illi incendiarij erant incolæ, modò in loco Terebinthi plantata est ficus, 7. ann. Indulg.

CAPUT IV.

De Cisterna 3. Regum.

Absoluto medio itinere viæ Bethlehemiticæ, id est duabus horis ab Jerusalem versus Bethlehem, obviat cisterna, communiter ab incolis 3. Regum, & stellæ nuncupata, quia stella, quæ illos sapientes Orientales in Bethlehem duxit, non longè ab ea se subtraxit ab eis, postea in loco hujus cisternæ iterum se eis visibilis præbuit. Hoc divina dispositione factum est, nè Hebrei vi dentes stellam, insequerentur pios Reges, & nè nato JESU aliquod damnum

damnum inferrent. Alij addunt, quòd hìc etiam potaverunt
suos camelos. Est cisterna sat lata, habens aliquot vasæ ex viva
petra pro odaquandis jumentis. 7. ann. Indulg.

CAPUT V.

De domo S. Habacuc Prophetæ.

Progrediendo ulteriùs extra viam circiter 60. passibus, cerni-
tur locus habitationis S. Habacuc Prophetæ, nam hìc ab
Angelo per capillos fuit in Babyloniam portatus cum cibo suis
messoribus præparato, ad refocillandum Danielem in lacu leonum
inclusum, fuit hìc aliquando Conventus Fratrum, uti fundamenta
restantia testantur, & situs. 7. ann. Indulg.

CAPUT VI.

De rupe S. Eliæ, & Conventu.

Non longè à cisterna Regum è regione Conventus conversis,
ad dexteram oculis venerantur Peregrini memoratum lapi-
dem, vel rupem, in qua lassi, quiescentisque S. Eliæ Prophetæ, ve-
luti in molli cera, effigies conspiciunt expressa. Hác enim transiens
Sanctus obdormivit, & miraculosè sui corporis effigiem reliquit,
fugiebat tunc à Jesabella ; modò à pietate indiscreta fidelium
multæ partes sunt abrasæ. Ad lœvam est nobilissimum monaste-
rium cum Ecclesia Græcorum, S. Eliæ nuncupatum, eminùs posi-
tum, à cuius parte aspicio Oriente, à sinistra Jerusalem, à dex-
tera Bethlehem conspicitur. 7. ann. Indulg.

CAPUT VII.

De domo S. Jacobi Patriarchæ.

Uno milliari peræsto à dextris in eminenti aliquantùm loco,
se videnda offert pars quædam antiquissimæ turris dirutæ,
vel domus S. Jacobi Patriarchæ, aliorūmqe ædificiorum vetustorum : Scriptores testantur esse reliquias celeberrimæ civitatis,
quæ Rama, vel Ramatha dicebatur. Et in hac Rama, vox audita

Matth. 2. est, ploratus, &c. cum Herodes occideret Innocentes. Hic con-
junx S. Jacobi amantissima Rachel ex Mesopotamia veniens obiit.
7. ann. Indulg. fuit in honorem hujus Patriarchæ Ecclesia cum Con-
ventu erecta, sed vetustate collapsa est.

C A P U T VIII.

De Sepulchro Rachelis.

Genes. 35. Continuando iter Bethlehem versus occurrit ad dexteram
partem veneranda Capella, seu sepulchrum supra memoria-
tæ Rachelis: de hac habetur Genes. 35. Mortua est ergo Rachel, &
sepulta est in via, quæ dicit Ephratam, hac est, Bethlehem, erexitque Ja-
cob titulum super sepulchrum ejus, Pars inferior hujus sepulchri cir-
ca circum cooperata est, & figura est ejus in quadro posita, quælibet pars in se habet quinque orgias, consistens supra quatuor
quadratas columnas: super has est rotunda capella, vel potius
cuspis, habens semiquatuor orgias in altitudine: totum ædificium
sine cyrasis vel alio decore factum, excisum tamen de lapidibus:
sub capella in alto posita est sepulchrum, habens figuram cistæ
cum coopérculo, longitudinis 7. vel 8. calceorum; in altitudine
6. in latitudine $\frac{1}{2}$. Circum est calce obductum, æque ex simili-
bus politis lapidibus, ex quibus ædificium; diciturque hæc tum-
ba tantæ esse duritiei, quod ferrum ei difficulter nocere queat.
Ipsum sepulchrum est muro obductum, habens altitudinem 4. pe-
dum. Ad introitum sunt 4. gradus. Intra eosdem muros, sunt
aliæ duæ minores sepulturæ, similes majori, attamen finè tumbris;
has sibi præparaverant duo turcae Hierosolymitani, qui ex devo-
tione illinc sepeliri cupiebant. Hic locus antiquitus erat capella,
seu oratorium Christianorum, nunc autem Machometani possi-
dent, & quandoque visitant cum magna reverentia, ita ut saepius
Christianis inhibeant accessum. Sepulchrum hoc saepe ruinam
patitur, rursus tamen à Machometanis, in honorem & memoriam
Rachelis restauratur. Ædificium quod hodie conspicitur ante
annos circiter 60. Mahumeth Hierosolymitanus Bassa ponit cura-
vit nomine Thevenoth. Nihilominus hoc sepulchrum ante
pulchrius erat, & sicut traditur, duodecim magnis lapidibus exor-
natum,

natum, in quibus 12. filiorum Israël nomina, expressa stabant. Multi verò putant, solummodo Epitaphium fuisse Rachaelis exprimens virtutes, & acta. Secundum S. Scripturam si indagare velimus: Jacob pro memoria & honore suæ Consortis amantissimæ erexit titulum super sepulchrum ejus. Qualis autem titulus fuerit, non concordant Scriptores, quāmque procul Sepulchrum Rachaelis distet à Bethlehem, scriptura non declarat: Moyses distantiam demonstrare intendit per vocabulum Chibrath ceu Chabrathe, cùm autem hæc vox expositoribus ignota sit, sic etiam distantia remanet ignota; non tamen omnibus; nam secundum vatablum & alios, hoc verbum Chibrath in arabicis invenitur Biblij, & exponitur pro italico milliari: & hæc distantia bene convenit cum sepulchris Judæorum, nam illorum sepulturæ communiter distabant 8. stadijs, vid. milliari italico.

CAPUT IX.

De Cisterna David.

Cum statio Philistinorum erat in Bethlehem, & David astuans siti, & desiderans aquam de lacu, ait: O! si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem juxta portam! cuius desiderio, & extinguendæ siti, volentes satisfacere, triginta milites castra hostium irruperunt, pervenientesque ad cisternam, aquam Regi detulerunt, quam David bibere nolens, libavit eam Domino dicens: Propitius fit mihi Dominus nè faciam hoc: num sanguinem istorum hominum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?

2. Reg. 23.

TRACTATUS XV.

INHOC Civitas Bethlehem, & sacrosancta ibidem contenta loca exponentur. Antequam tamen de his, quæ in ea (favente DEO) & vidi, & notavi, ac ex alijs collegi, pro mea tenuitate ingenij scripsero, prænoto. Bethlehem esse duplē in Palæstina, unam Galilææ in Tribu Zabulon: alteram Judææ, de qua hic mentio erit, quam flexis genibus exosculans cum S. Hieron. saluto: Salve Bethlehem domus, in qua natus est ille Panæ, qui de calo descendit.

L 3

CAPUT



C A P U T I.

De Civitate Bethlehem.

HÆc olim sat magna fuit civitas, nam ipsa vestigia testantur fuisse in circuitu unius germanici milliaris, & si forte non fuit tam magna quantitate molis, fuit nihilominus virtutis, ex hac enim prodivere tot Illustrissimæ personæ Principum, & Regum: ut Jesse, David, Noëmi, Ruth, Mathan, & complures alij, quos sacer Codex notando numerat. Ast, magnitudo ejus potissimum colligitur inde, quia ipsi soli contigit. *Ducem salutis cælitùs incorporatum gignere.* Laudem hanc maximam, nemo ei auferre potest, licet sit modò in miserabile redæta oppidum, quinque scilicet familiarum: Turcarum, Maurorum, Græcorum, Armenorum, & Maronitarum, id est: nostrorum catholicorum; omnes enim haec nationes in magna egestate ibi degunt, Maronitæ nostri cum Græcis potiori ex parte viræ subsidia lucrantur cruculis, coronis, &c, quæ in dies laborant, & peregrinis vendunt. Clima habet sanitati proficuum, agros fœcundos, vineas paucas, fucus & oleum in quantitate; hoc tamen lamentabile est, quod raro ex his, quæ (DEO favente) fæcunditas terræ protulit, colligant: nam sicut in alijs locis, ita hic, frequenter alijs seminat, & alijs metit: ante maturitatem enim à Bethheulianis, & alijs arabibus circa mare mortuum incolis, vi decerpuntur. Ingressis hanc S. Civitatem 7. an. Ind. conceditur. Antequam Conventus, aut Ecclesia in orientali plaga fundata, & sanctuaria in hoc loco contenta visitentur, præsertim ubi natus est ille Oriens ex alto Christus JESUS.

Primo se conspicienda offert area magna, seu platea, in cuius parte orientali est porta, in occidentali vero facies seu frontispicium Ecclesiæ cum porta angusta 4. palm. aliæ majestuosæ sunt obmuratæ propter Turcas, & Arabes, qui illuc cum equis intrarent. Per hanc igitur portam ingredimur vestibulum Ecclesiæ S. MARIAE, in qua est porta major, quæ ad ulteriorem dicit Ecclesiam, per eandem intramus nostrum Conventum per commodum ostium ad Aquilonem; sed cum hæc porta ab ecclesia S. MARIAE sit tantum aperta pro commoditate adventantium ad missam audiendam,

diendam, vesperas, & Catechismum, hinc provisum est de porta
alia ad ingrediendum Conventum, estque similis supradictæ 4.
palm. & hæc est ferrò obducta, ut possit resistere violentæ manui
Arabum, toties pro cibo nos inquietantium. Olim erat magni-
ficè cum omnibus necessarijs pro commoditate Monachorum a S.
Paula extructum monasterium, teste D. Hieron. & Eusebio: nunc
verò licet hunc nitorem non retineat, Religiosi tamen nostri com-
modè habitant duodecim, vel quatuordecim. Tempore autem
adventūs Peregrinorum, vel Hospitum, pro solemnitatibus, quas
ibidem celebrare consueverunt, modò, quod potest meliori hospi-
tantur. Hoc monasterium fuit toties conflagratum, modò verò
pietate Europæorum fidelium sub gubernio Reverendissimi P. Gre-
gorij de Pargelia, & M. V. P. Raphaëlis Vantajol (qui in præsen-
tem diem Terra S. Procurator est) anno 1689, fuit à fundamentis
renovatum, ita ut comodè 20. Religiosi habitare valeant, exceptis
peregrinis. Juxta septa monasterij est viridarium, abundans præ-
cipue supra antrum SS. Natalis Domini Nostri malis granatis, li-
monijs. Hæc sancta Loca, & alia derelicta ab alterius ordinis
Religiosis occupari non possunt, à nostris verò reformari, & alia
accipi possunt, facultate jam concessa, à pluribus summis Pontifi-
cibus illa retinendi, & nova recipiendi secundùm opportunitatem.

C A P U T II.

De Ecclesia S. Catharinæ.

Tres sunt memorabiles Ecclesiæ in Bethlehem, S. MARIAE,
Nativitatis Domini Nostri, & S. Catharinæ: in hac Sanctissi-
mum conservatur, Divinaque officia peraguntur, & ad hanc Pe-
regrini primùm introducuntur; tres portas habet, primam ex sa-
cristia, secundam ex Conventu, tertiam per scalam, per quam de-
scenditur ad sanctuaria subterranea, & locum Nativitatis Domini
nostri JESU Christi. In introitu hujus ecclesiæ respiciendo ad
dextram adest cisterna, seu fonticulus optimâ serviens aquâ: hic
juxta traditionem Grezæri & Guaresimi, fuit annulò desponsata
S. Catharina invisendo S. Loca Palæstinæ; nata verò in Cypro
Salaminæ, quæ postmodum Constantia appellata, & hinc cum
patre

parte & matre Alexandriam profecta, ibique martyrio coronata est, cuius corpus ad montem Sinai per Angelos portatum, & collocatum fuit: in cuius memoriam Ind. Plen. sunt concessæ.

In hac ecclesia quotidie (exceptis diebus festivis, & Dominicis, quia his in majori ecclesia) peraguntur Divina officia, & Missæ cantantur: post Completorium verò eo modo, quo diximus super Tract. II. cap. I. circa finem describendo processionem apud S. Salvatorem, fit processio intonantibus 2. parvis scholaribus hymnos, cætera prosequente choro, cum Maronitis; omnes enim hic à pueritia edocentur legere, & cantare, quibus & cibus præbentur, quamdiu in litteris erudiantur; fitque hæc processio ad sequentia Nativitatis Domini Nostri JESU Christi sanctissima loca.

C A P U T III.

De Ecclesia, & loco Nativitatis D.N. JESU Christi.

In extrema orientali parte, Illustrissimus, ac dignissimus totius orbis restat locus extra civitatem Bethlehem intra rupem, potius DEI peculiariter ministerio, quam industriâ hominum, demissò quidem loco, fabrefactus, cælum tamen ipsum coæquans, stabulum quondam animalium, at quacunque aulâ regiâ illustrior, in quo Christus JESUS aeterni Patris Filius factus Homo, de Purissima Virgine MARIA nasci dignatus est. Hic locus, sicut & modò, semper fuit extra civitatem; quia pastores vigilias super gregem agentes, & huc venientes, non potuissent Eum adorâsse. Hæc specus tempore necessitatis pauperibus serviebat viatoribus pro reclinorio, sicut & pauperculæ Matri JESU, cum Josepho. Super istam est ercta ecclesia major à S. Helena rectè super medium loci Nativitatis, quam conteinplans Sanutus, sic de ea scribit: *Vix in orbe terrarum pulchrior ecclesia, vel æque devota poterit inveniri.* Sunt enim in ea columnæ marmoreæ nobilissimæ, per quatuor partes dispositæ, non solùm multitudine, sed & magnitudine, stupendæ. Navis, seu concavus fornix Ecclesiæ usque ad trabes, factus est opere mosaico. Prædictæ columnæ usque in hodiernum diem divinâ quadam conservatione remanent integræ: has

has cùm tentâisset, quidam Soldanus pro suo palatio extruendo in Babyloniam de ferre, súique jam incepissent artifices instrumentis suis evellere ; de pariete, de quo nec acus educi posset, exivit serpens, & accedens ad undecim tabulas, morsum cuilibet infigens, quæ continuò transversaliter scissæ sunt: quod stupens Soldanus, à proposito destitit, & serpens disparuit. Per hanc Ecclesiam processio transit, & relictis foris calceamentis per duas scalas descendit, unam graduum 13. ad cuius finem est porta ærea, foraminibus in modum crucularum elegantissimarum elaborata : & mirum est quòd Machometani, aliàs avidi, nunquam attentaverint eam auferre: quia *Dominus custodit civitatem*. In hoc antro sanctissimo tam pavimentum, quàm parietes, cooperti sunt tabulis marmoreis cinericei coloris, vel potius subalbi, cum intermixtis venis nigris, pro cuius majori decore & varietate temporis, alia adduntur ornamenta. In ejus orientali parte adoratur locus, in quo Regina cæli sub media nocte dedit in lucem Ipsam Lucem, dum genuit filium suum Unigenitum, & Ipsum quem genuit hic in terra collocando, adoravit. Modò cælestem spirans odorem capellula ereta est: ejus pavimentum, quòd primò natum Redemptorem suum creditur cæpisse, est figuræ circularis mediæ spheræ, seu medij circuli formam gerens, nitidissimo marmore coopertum, in cuius medio est stella sculpta, in cuius centro, seu medio impositus est lapis porphyriticus, circumdatuſ argenteâ desuper laminâ, lapillis & gemmulis hinc inde exornatâ, desuper est alia tabula marmorea nitidissima, supra quam DEO offeruntur sacrificia. In hoc altari, ad vivum est mysterium Nativitatis Domini depictum, nimirum B. Virgo cum suo sposo Natum JESUM contemplantes, & Angeli eum adorantes. Indulg. Plen. Alexander VII. confirmavit indultum dicendi hic Missam: *Puer qui natus es: exceptis testis primæ, & secundæ classis.*

C A P U T IV.

De Præsepio Domini Nostri.

Recedendo à loco Nativitatis Domini austrum versùs per 3. gradus ad lævam, adoratur SS. Præsepium, in quo D[omi]n[u]s Ipara-
M Virgo

Virgo postquam Filium suum peperit, & panniculis involvit, inter bovem & asinum collocavit, hīcque Eum pastoribus eadem nocte adorandum obtulit. Distat locus unus ab altero sex circiter passibus. Ante imaginem mysterium Nativitatis Domini repräsentantem s. lampades ardent, quæ omnes sunt obductæ craticulis: fornix ejus pulchrâ materiâ cooperatus per modum facelli speciosissimi, non tamen hīc missa celebrari potest, nam nimis demissè præsepe locatum, ex marmore cavatum. Ind. plen.

C A P U T V.

De loco Adorationis Magorum.

E Regione hujus præsepis ad manum sinistram, est erectum. *l. 7. c. 21.* altare, in hoc enim loco fuit à 3. Regibus adoratus teste D. Hieron: qui sic scribit: *Beatissima Virgo in adventu Regum, quos divina revelatione venturos sciebat, ex præsepio filium accepit, quem in gremio, velut in throno sedentem Magis adorandum exhibuit.* Ind. Plen: & privilegium dicendi missam (ut suprà) *Puer qui natus, &c.* Hæc tria loca Nativitatis. Præsepij, & Adorationis Magorum, vera esse revelatione didicit S. Birgitta, sūntque ita disposita, ut videri & adorari possint ab omnibus ex uno loco. Capellula hæc seu antrum sanctissimum sericis ornatum est tapetibus, locus sānē ad devotionem & lætam pietatem promovens, qui frequenter deosculatur, non solum à catholicis, sed etiam à schismaticis; Turcae ipsi attoniti eundem demirantur, ut oculis proprijs vidi, & eos, alias vidisse, admirari, Authores testantur. S. Paula ex teneritudine affectus erga hæc sanctuaria ajebat: *Ego misera atque peccatrix digna sum iudicata deosculari præsepe, in quo Dominus vagijt, orare in spelunca, in qua virgo Puerpera Dominum fudit Infantem.*

S. Birgitta
l. 7. c. 21.
22. & 23.

Hic nostri fratres spiritualibus quasi non possent satiari consolationibus, quas ille locus spirat, post mediam noctem frequenter usque ad signum pro prima canonica persolvenda, in orationibus, contemplationibus, &c. mediam noctem insomnem ducunt. Vidi meismet oculis, & tacere non possum, æch omni nocte exerceri à Venerabili sene hujus Conventus Con-

Confessario, & cùm defecisset viribus, ibidem quod non flectendo poterat, hoc sedendo continuâsse in oratione, meditatione, &c. ibidemque vitam finivit. Gentiles ad delendum hìc Nati Messiaë memoriam, Adonidis, & Veneris collocarunt statuas; sed his divina ope eversis, fulget mysterium Dominicæ Nativitatis.

C A P U T VI.

De Sacello S. Josephi,

Completis his quæ ordinariè cantantur, & pro lucrandis indulgentijs dicuntur: Parvuli incipiunt hymnum, choro prosequente, & processio vadit ad occidentalem speluncæ portam, alia visitatura loca; inter quæ primò occurrit S. Josephi scalpellum, aliqualiter magis declive, ubi stat altare cum imagine ejusdem sancti; non quia hìc fuerit natus, vel mortuus; sed quia hìc fuerit in contemplatione dum JESUS nasceretur; antrum magis subterraneum. 7. ann. Indulg. ibidem.

C A P U T VII.

De Capella, vel sepulchro SS. Innocentium.

A Sacello S. Josephi descendendo per duos gradus occurrit sepulchrum SS. Innocentium; nomenclaturam inde accepit, quia in hoc loco deposita eorum corpora jacuerunt. Alij volunt, quòd hìc se eorum matres cum illis absconderunt intelligentes interencionem à carnificibus Herodianis, qui se plorantibus prodiderunt, & in brachijs matrum suarum trucidati sunt. Ind. 7. ann. De Innocentium cæde auditâ famâ Augustus Imperator dixit: melius Herodis esse porcum, quam filium: cùm & proprium filium occideret.

C A P U T VIII.

De Oratorio S. Hieronymi E. Doct.

Ex hoc facello se vertit processio ad lævam, & à dextris reliquo S. Eusebij sepulchro, & alijs, de quibus infra, ingreditur
M 2

ditur oratorium S. Hieronymi Ecclesiae Doctoris, est plane ista
grotta, seu antrum, adaptatum sub ejusdem sancti schola, habens
commodam pro lumine capiendo fenestrellam, haec viro sancto
serviebat pro exercitiis spiritualibus, ubi & sacram scripturam ex
hebraica vertit in latinum & græcum. 7. annor, Ind.

C A P U T I X.

De Sepulchro S. Hieronymi.

Redeundo ab hoc Oratorio per eandem viam ad plagam occidentalem, adest sepulchrum ejusdem S. Doctoris, quod est à tolo elevatum in formam altaris, opertum tabulâ marmoreâ. Hic ejus venerabile corpus multis requievit annis, usque dum Romanum in Basilicam S. MARIAE ad præsepe fuisset translatum; ut habetur in martyrologio Romano. 7. ann. Ind.

C A P U T X.

De sepulchro SS. Paulæ, & Eustochij.

EX opposito immediatè sequitur ad orientalem partem sepulchrum, in quo SS. Paulæ Romanæ & Eustochij filia ejus Virginis corpora tumulata sunt, quæ cùm essent è nobilissimo senatorum genere, reauntiantes sacerculo, & facultates suas pauperibus distribuentes, ad præsepe Domini se contulerunt, nonnullorūm que Conventuūm hæ sanctæ peregrinæ fundatrices suèrē, scilicet S. Catharinæ pro monachis, quo in præsens Nostrī gaudent. Pro sancti-Monialibus, medio milliari Bethlhem, dictos Paulæ, & vicini S. Nicolai. Ejus tumbam sequentibus exornavit versibus S. Hieronymus.

Scipio, quam genuit, Pauli fudêre Parentes,
Græcorum soboles, Agammemnonis inclyta proles,
Hoc jacet in tumulo, Paulam dixêre priores
Pauperiem Christi, & Bethlemitica rura secuta est.
In fronte verò speluncæ, sequentes leguntur versus,
Aspicis angustum præcisâ rupe sepulchrum,
Hospi-

Hospitium Paulæ est, cælestia regna tenentis :
Fratrem, cognatos, Romam, Patriamque relinquens,
Divitias, sobolem, Bethlemico conditur antro.
Hic præsepe tuum Christe, atque hic mystica Magi
Munera portantes, Hominique, Deoque dedere.

Indulg. 7. ann.

C A P U T XI.

De sepulchro S. Eusebij Abbatis.

AD sinistram restat visitandum S. Eusebij sepulchrum in modum altaris erectum. De hujus vita F. Philippus Ferrarius Ord. Servorum S. MARIAE scribit sequentia. *Eusebius civis cremonensis, relictis, parentibus, opibus, & patriâ, in Palæstinam profectus est, ubi factus monachus sub S. Hieronymo, eos brevifecit progressus, ut ab eo in cœnobio Bethlehemico Abbas præficeretur : præter 7. ann. Indulg. suprà hæc omnia altaria missæ celebrantur privatæ, & in eorum festivitatibus solemnis à nostris Fratribus cantatur. His veneratis sanctuarioribz processionaliter ascenditur per gradus ex hac S. caverna subterranea, & introitum ad Ecclesiam S. Catharinæ, super descriptam, ubi Litanij de B. V. MARIA decantatis fit conclusio processionis, & initium meditationis.*

TRACTATUS XVI.

QUoniam non solum intrâ hanc S. Basilicam, sed etiam foris aliquot reperiuntur sanctuaria, & loca, visitatione dignissima, pro impetrandis gratijs, à summis Pontificibus concessis, sit proinde

C A P U T I.

De Schola S. Hieronymi.

EXundo Conventum per plateam suprà descriptam, occurrit visitanda S. Hieronymi schola, posita sub ipso Conven-

tu Armenorum, quæ sustentatur columnis marmoreis. Hic S. Do-
ctor suis Discipulis tradebat doctrinam, sibi desuper concessam.
Cujus ædificium licet tantum pro requie adventantium Arabum
camelis, mulis, &c. locum suum præstet: tamen 7. ann. fidelibus
concessa, perennat.

C A P U T II. De Ecclesia S. Nicolai,

FAET mediō gyro inter Conventus græcorum, & Armenorum
orientem versūs, adsunt rudera (secundum communem
opinionem) remanentia ex parochiali Ecclesia S. Nicolao dicata;
de qua etiam mentionem facit Gregorius XI. in sua Bulla, in
qua dat facultatem eam iterum reædificandi, & 7. An. Ind. visitan-
tibus concedit.

C A P U T III. De Lacte B. V. MARIAE.

POst Ecclesiam S. Nicolai non longè, introitum antrum seu spe-
cūs, in qua colligitur lac B. V. MARIAE. Origō autem hu-
jus, hæc est. Admonitus S. Josephus per Angelum, ut accepto
Tenello JESULO cum sua tenera Matre fugeret in Ægyptum:
Matth. 2. futurum est enim (inquit Matth. 2. ut Herodes querat animam Pueri
ad per dendum Eum: mox consurgens, eduxit fidelis sponsus san-
ctissimam Virginem, & accepto JESU ex præsepio: illam deduxit
in hanc specum, nē illis à satellitibus irruituris, aliquid mali acci-
deret. Et cùm ille interim de alimonij provideret in civitate Be-
thlehem pro tam longo itinere, Amantissima Mater dans ubera de
cælo plena famelico Infantulo, Divinâ permissione, & consolatio-
ne hominum, factum est, ut caderent aliquot in terram guttæ de
illo benedicto lacte, indéque hæc terra illius speluncæ nomen ac-
cepit, colorem, & virtutem lactis DElparæ Virginis, tantaque hu-
jus lactis virtus, ut nedum fideles, verū etiam infideles mulieres,
Turcæ, Arabes, &c. lacte pro suis prolibus carentes hoc sumpto in
aliquo liquore, beneficium consequuntur lactis. Quin imò ter-
ra

ra ipsa in pulverem redacta, & missa in aquam pecudibus propinatur, nè ipsis lac deficiat: & amplius quod me mirari facit à tot millibus personis, & à tot sæculis de illo faxo in mollem terram redacto accipitur, & tamen illa spelunca in suo esse consistit: contra febres, morbum caducum, pro felici & levi partu, optimum remedium, sumitur cum, vel in aqua benedicta, vel alio liquore in honorem B. V. MARIAE, & quod DEUS inspirat, oratur. Supradicata speluncam exstructa fuit monastica Ecclesia, cujus modo tantum memoria remanet. Cùm verò hic locus omni veneratio-ne dignus sit, posuit Reverendissimus P. Franciscus Sorianus ex Provincia Seraphica, Guardianus Hierosolymitanus anno 1493. altare, ut intus Missæ commode celebrari possent, & his DEI param venerari, quod licet modò vix commode propter machometanos præstari possit, à visitantibus tamen Litaniæ cum luminibus dicuntur: Imò ipsi Arabes, & Turcæ oleum affundunt, pro lumine alendo, ad lampades, quæ ibi ordinariè ex limo sunt. 7. an. Ind.

C A P U T IV.

De Villa Pastorum, & cisterna B. V. MARIAE.

ORientem versùs, occurrit villa pauperula, vulgo villa Pastorum nuncupata, quia inde pastores illi, quibus per Angelum nuntiatum erat, natum esse Salvatorem, hic traduntur esse oriundi, vel in ea habitáre, vel quia vicina loco est, in quo illi custodiebant vigilias noctis. In hac est quædam cisterna excavata de vivo faxo, de qua fert sequentia traditio. Quod cùm rustici petitam aquam cum illusione B. Virgini denegâissent, aqua ultrò usque ad cisterne os salijt: addunt multi ob illam irrationem habitatores semper in deterius abivisse, & tempore aestivo vix aliquis hic habitat, sed coguntur gyrate per montes, mari mortuo vicinos, quod non semel observavi, 7. ann. Indulg.

C A P U T V.

De domo S. Josephi.

POst hanc villam reperiuntur rudera domus S. Josephi in medio

dio montis, olim fuit fabricata in honorem hujus sancti Ecclesiae
& 7. ann. Indulg. quod autem cum sua dilectissima sponsa proxima partui ad hanc se non reperit? ratio est: quia domus haec, necdum sua fuit ante partum JESU, sed primò post adorationem Magorum ex oblatis muneribus eam emit. Modò tantum lapis fundamentalis remanet.

C A P U T VI.

De loco, ubi Pastoribus Angeli nuntiârunt Nativitatem Christi.

Ad quadrantem milliaris germanici adest celebris locus, dictus Pastorum in amena planicie positus: fuit hic antiquitus turris Ader, idem quod turris gregis nuncupata, quia ad hanc se pastores recipiebant pro suo libitu: Pinguis terra tam hominibus, quam jumentis gratum germinans pastum. In hoc loco S. Patriarcha Jacob à Mesopotamia rediens pavit greges suos, & pastores nocte vigilantes; audire meruerunt Angelicum cantum: *Gloria in Excelsis DEO*: dumque custodiunt oves, invenerunt Agnum DEI, puro & mundissimo vellere, in ariditate totius terrae, cælesti rore complutum. In hujus mysterij perennitatem pijissima Constantini Mater ædificavit Ecclesiam in honorem SS. Angelorum, quæ nunc tota in terra delitescit, nec inhabitatur. Porro non est ita collapsa, quin commode ibi Mysteria Divina absolvi non possent; imò paries ejus ubique firmissimus & ex majoribus vivis petris exstructus: longitudo ejus 46. latitudo 27. palm. cum altitudine proportionata. Frequenter invisitur à nostris ex Bethlehem, & omnibus Peregrinis, tam Europæis, quam Orientalibus, uti Græcis, Armenis. Ind. Plen. Mihi dictum fuit anno 1710. die 9. Aprilis à nostris Maronitis, quod quidam villani infideles nocte aliquoties eam diruere attentârunt, sed lumine extraordinario territi fuisse debuerunt.

C A P U T VII.

De Monasterio S. Paulæ Rom. Vid.

Procedendo quadrante milliaris germanici reperitur in monte locus

locus Monasterij S. Paulæ appellatus, hæc enim post viri sui obitum, ferè totam Palaestinam peragravit, & 4. monasteria ædificavit, quorum ipsa Mater fuit, unum pro viris, tria pro monialibus: è quibus hoc unum, in quo singulariter habitabat, exstat, ubi ecclesia modò non est videre nisi Sacellum; vestigia tamen amplissimi monasterij cognoscuntur, ex petris, magnificis collapsis. 7. an, Indulg.

TRACTATUS XVII.

DE via per quam peregrinatur Hebron versus quod Bethlehem distat 4. milliaribus germanicis. In hac visitantur loca in sacris Paginis recommendata, licet non omnibus gratia indulgentiarum concessa: ex quibus sit

CAPUT I.

De Villa Bethulia.

Cùm legis Bethuliam, sive Bethsuram, hic non intellige illam in Galilæa patriam Judith, sed in Judæa, quæ ex civitate seu fortalio, modò milera est villa. Ad hoc olim confugerunt perditâ Hierosolymâ milites christiani, & creduntur fuisse equites Hierosolymitani: hicque in civitate per 40. annos super magnum montem constituti, diu Machometas mortificârunt. Appellatur usque in hodiernum diem Monte dei Franchi, id est: mons Christianorum: distat à Bethlehem uno milliari germanico.

CAPUT II.

De Villa Thecue.

Ad meridiem quasi uno milliari germanico est Conventus dirutus, in quo multi Religiosi fuerunt martyrizati, memorat Martyrologium Romanum 28. Maij. Ab hoc loco & à Bethlehem duobus milliaribus ad dexteram conspicitur Villa Thecue, de qua Habacuc, & Amos Prophetæ prodierunt: item illa mulier à Joab ad David missa pro gratia impetranda Absoloni. 7. ann. Ingulg.

N

Hæc

Hæc loca vix aliquando visitari possunt, bene tamen à civitate Bethlehem videri.

C A P U T III.

De horto concluso.

Exundo Bethlehem medio milliari germanico occurrit villa Salomonis dicta, potiori ex parte diruta, & nec ab aliquo vel aliquo inhabitatur, propter tot à Barbaris percessas invasiones, non exiguae tamen æstimationis fuisse, traditione conjici potest, cum pro tanti Regis animi relaxatione ædificata fuerit; idem præterea testatur sons, qui copiosas etiam ad irrigandos campos, & hortos effundit aquas. Sub hac villa jacet Hortus conclusus, oblectamentum Regis Salomonis, quem non ille aliquo muro, sed ipsa natura speciosis, & fertilissimis montibus conclusit; producerebat omnium fructuum genera, modo gramine & herbis diversis repletur, humorem abundè subministrante fonte infrà describen-
do, & pilcinis.

C A P U T IV.

De Piscinis Salomonis.

Per hanc ipsam vallem progrediendo medio milliari germanico amplius, in altum fabrefactæ adsunt piscinæ Salomonis muris circumdatae, magnoperè in ejus canticis honoratae. Prima est longa brachijs 200. lata 90. secunda longa 220. lata 90. Tertia longa brachijs 160. & lata 90. profunditas earum ordinariè orgia-
rum 18. aquas tribuente pluvia & fonte signato.

C A P U T V.

De Fonte Signato.

PAULÒ altius progrediendo per viam Hebron ducentem, relictō à dextris castellō disarmatō, ab hominibus tamen habitato, & in occurrentia milite proviso, adest Hirogliphicum cælestis— sponsæ Fons scilicet signatus in antro profundo contentus, ad quem

quem per certam aperturam , sat angustam descenditnr . Hic dulces copiosas emanat aquas , quas triplices subterraneæ suppeditant Scaturigines . Antrum solemne hoc Salomon lapillis pretiosis opere mosaico exornavit , & sedile in eo pro se , pretiosius collocavit . Aqua ejus (ut dixi) recipitur à tribus piscinis , ab eodem Rege , mirè fabrefactis . Præterea ducitur intrà canalem sexies circiter in gyro usque Hierololymam , hoc est , per sex milliaria germanica , ad templum Salomonis , quæ olim , & nunc servit ejus . Templi Pseudocultoribus . His visis revertimur ordinariè in Bethlehem ; si verò cuidam placet , & commodè (quod rarissimum) fieri potest , prosequatur iter Damascum , consultius tamen faciet , si hoc instituerit ex Bethlehem , in qua via occurunt tria scitu dignissima . De quibus sit .

CAPUT VI.

De Villa B.V. MARIÆ.

Hæc villa duobus milliaribus distans Bethlehem , inhabitatur à Græcis , gaudentque Ecclesiâ dedicatâ DEO in honorem B. V. MARIÆ , sique nominatur ea villa , imò totus pagus , quia secundum communem traditionem B. Virgo fugiens in Ægyptum , prima nocte , suâ , suorumque comitum præsentia , eum nobilitavit . 7. ann. Ind.

CAPUT VII.

De convalle Mambre.

Medio milliari à civitate Hebron , adest illa famosissima Vallis Mambre nominata , plurimùmque in S. Paginis dignè celebrata : Hic enim habitavit S. Patriarcha Abraham , amantisimus vagorum , peregrinorumque receptor , & resocillator , qui & meruit in specie viatoris peregrini Angelos , mysterium SS. Trinitatis symbolizantes recipere , & adorare , dum Tres vidit , & unum adoravit . Nominatur autem Mambre ab Amorrhæo , ejus primo possessore , ut scribit Lyranus in cap. 13. Gen. vel à queru , sub quo recepti sunt ab eo Angeli . Constantinus honoravit hunc locum

templō majestuosō, prout reliquiæ quadratorum lapidum desactō
perhibent testimonium.

C A P U T VIII.

De civitate Hebron.

HÆc civitas antiquissima, & nobilissima, quippe quæ à primo nostro Parente Adamo (ut scribit Annus in Comment. Xenophontis) fundata fuit. Et licet Rabbi Salomon sentiat à Cham secundō genito Noë, per hoc tamen antiquitatem non amittit; variè fuit nominata. Primo Mambre: Secundo Arbec: Tertio Cariath: ultimò Hebron: quod idem ac Societas: quia secundùm S. Hieronym. hucusque DEUS associatus Adamo, & Evæ, eos eduxit. Vel quia propter Societatem inibi sepultrorum, scil. Abrahæ, Saræ, Isaac, &c. Hanc Caleb, jubente Josue expugnavit, quem suâ filiâ, datâ ei in uxorem, & hac civitate præmiauit. Multoties passa est disturbium cum ruina, tamen semper restaurata. In Ecclesia majori à Christianis ædificata pro occludenda duplice spelunca, in qua supra nominatorum Parentum corpora suè tumulata, templum sumptuosum Præcursori Christi dedicatum fuit à piissima Imperatrice Helena, nunc est Moschea Turcarum. Habitatores ejus Turcæ, Arabes, & Mauri, belligeri Rebels. Suprà mentionata spelunca duplicata, quia in modum chori duplicitis adaptata cum sedilibus suis, suprà quæ deposita veterum Patrum cadavera stabant, quasi legendō, & posteris tradendo doctrinam, pro felici adipiscenda æternitate, summè necessariam, nimirum: *Memento mori. Quod nos sumus, vos eritis!* cogita, qui legis.

TRACTATUS XVIII.

DE Civitate Damascena, & sanctuarioris, quæ intrâ & extra hanc continentur, relationem facturus, nominatissimorum scriptorum traditionem referam, distat autem Hierosolymâ 20. milliaribus germanicis.

CAPUT

C A P U T I.

De Civitate Damasci.

HAnc describens Bonifacius de perenni cultu terræ, sequentia tradit: Damascus insignis est, & antiqua civitas, caput Syriæ, amæna regio, aquis perlargissimis irrigata, ut Paradisus, sed propter delicta nostra, & Principum Christianorum negligentiam, viperarum habitatio effecta est. Antiquitatem ejus si licere velis, certum habeas ante Abrahamum fuisse conditam, nam ut habetur Gen. 14. S. Patriarcha Abraham pro liberatione sui nepotis Loth, persequendo illos 4. Reges, dicitur venisse usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci. Aliqui dicunt conditam fuisse ab Aram qui erat filius Sem, primogeniti Noë. Alij ab ipso Sem, Patre Aram. Et sicut fuit antiquissima, ita & nobilissima, quippe quæ fuit semper Caput Regni; & Amos Propheta prædicans ejus decorem, domum voluptatis appellavit. Inhabitatores ejus defactò sunt Turcæ, & alij Mochometani, Hebræi, Græci, Armeni, Suriani, & citerius 400. Catholici Maronitæ, curam animarum habent nostri Patres, à DEO, eleemosynis Europæorum Christianorum (uti & per omnia Palæstinæ loca) beneficiati, ut veri Parochi.

Amos 1.5.

C A P U T II.

De loco Conversionis S. Pauli.

Testante sacra pagina, cùm sublato infami morte crucis capite credentium Christo, à perfidia judaica sævitum esset in membra ejus, & primus sanguine suo JESU Christo testimonium dedisset extra portam Jerusalem Stephanus, morteque suâ primum Ecclesiæ nascentis gloriosum signasset trophæum: factam in illa die persecutionem magnam in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, ut omnes dispergerentur tanquam oves percuesso pastore, per regiones Judææ & Samariæ præter Apostolos. Saulus qui consentiens erat neci Proto-Martyris Stephani, & vestimenta omnium servaverat, ut in omnium lapidantium ipse esset manibus; tanquam persecutionis Archistrategus non solùm *devastabat Ecclesiam, per dominos*

Ad. 8.

*mos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam, sed in
morem Elephantis viso Christianorum sanguine ad eorum exci-
dium magis armabatur. Unde spirans minarum & cædis in discipu-
los Domini, accessit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo Epistolas in
Act. 9. Damasum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus via viros ac mulieres,
vincitos perduceret in Jerusalēm. Quas cruentas Credentiales cùm
pro exasperato Synagogæ genio ad Urbem damascenam facile im-
petrâsse, zelô mosaicæ legis ferebatur hic Pharisæus in Syriam, in
catenis & pedicis ad sanguinarium Synagogæ Amphitheatrum
novas Christianorum adducturus victimas. Dum ergo appropin-
quaret Damasco, fulguravit DEUS coruscationes suas ab alto, ut
dissiparet consilium rabidi hujus Achitophel & fulgura persecutio-
nis, faceret Ecclesiæ suæ in pluviam benedictionis. Perstrictus
enim Saulus luce cœlesti, quæ circumfulsit eum, jumentoque de-
jectum terræ allisit, voce de cœlo feriente aures & tremefaciens
cor: *Saule, Saule, quid me persequeris?* subito ex lupo Agnus plac-
idè querens *quis es Domine?* audivit; *Ego sum JESUS, quem tu perse-
queris.* Qui prostravit persecutorem, ut ex ruina hac, in cœlis
pro eo perorante sanguine Stephani, erigeret Ecclesiæ suæ propug-
natorem, ut verum sit: fanguinem Martyrum, semen esse Chris-
tianorum. Hanc mutationem dexteræ Excelsi pagina scripturæ
signat, non tamen determinatè locum, ubi prostratus Saulus desu-
per interdictum in Christians fæviendi accepit. Ego manumissis
opinionibus aliorum, communis insistens traditioni, existimo hæc
tribus milliaribus italicis, seu medio milliari justo germanico acci-
disse Damasco. Hæc enim passim affirmant incolæ damasceni, &
confirmant restantes supra quendam collem ruinæ Ecclesiæ, quam
indubie pieras Christianæ construxit in memoriam, ibi vas quaſſa-
tum contumeliae Saulum, in vas honoris & electionis sui nominis,
JESUS erexit Paulum. Quod probabilius facit in vicino spelun-
ca, passim ab indigenis dicta Grotta S. Pauli ad quem locum ex ju-
mento dejectus visuque privatus, primò perductus est, ut timore
lassus, & præ stupore tremens, per aliquantulam requiem vires
confirmaret. Hanc traditionem videtur rati habere Ecclesia,
eundem locum gratiosè insigniens, 7. ann. Ind.*

CAPUT



C A P U T III.

De Vico recto.

Comites itaque viæ, quos impium Tribunal Synagogæ ad captivandos & vinciendos Christiani nominis professores, Saulo adjunxerat; ut iterum textus sacræ Litteræ loquitur, per manus illum trahentes, cùm introduxisserent in Civitatem, transierunt portam quæ est in *Vico recto*. Hic vicus, vicus est Urbanus seu via publica, utrïnque ædificijs, officinis prælertim in quibus merces cuijusque generis venduntur instructus; estque Emporium & nundinarum locus, unius milliarij patrij longitudinis & amplius; velut sagitta rectus, & ab ejus rectitudine *Vicus rectus* est nuncupatus. Porta verò per quam in Damascum ductus est Saulus, modò nemini patet, ut potè obmurrata, retinens tamen unam fenestram, per quam idem jam Apostolus postmodùm à discipulis in sporta dimissus fuit, ut evaderet in nomine Domini insidias Præpositi Aretæ Regis, qui custodiebat Civitatem damascenorum, prout ipse testatur 2. ad Corinth. c. 11. DEO illum reservante & ostendente, quantæ eum pro nomine suo remanerent passiones, ut in prima hac persecutionis conjuratæ Urbis initiatuſ palæstra, tanquam athleta unctus ad graviora descenderet certamina; subductusque Urbi, præferret orbi à solis ortu usque ad occasum coram gentibus & Regibus laudabile nomen Domini, cuius paulò ante gloriam persequebatur. Sicque mutatus in virum alterum jam disceret, quod aliquando scriberet per multas tribulationes nos oportere intrare in regnum cœlorum, quarum præludium exhibuisset Damascus. Hanc portam visitantibus concessæ sunt septennales Indulg.

C A P U T IV.

De Domo Judæ Tarsensis.

Postquam ergo venissent in vicum illum rectum, Saulusque adductus fuisset in domum conterranei sui Judæ Tarsensis in illo vico habitantis; jussus est à Domino Ananias discipulus Domini

mini eundem querere, & manus imponere ut visum reciperet; atque ita ablato jam velamine à corde ejus, develarentur & oculi corporis vexatioque quæ dederat intellectum, inflammaret affe-
ctum erga JESUM Crucifixum, & detersa caligine serena veræ fidei illuceceret dies, Luciferque novus oriretur in corde ejus. In hoc loco exhibetur cellula, in qua mansit tribus diebus non manducans neque bibens: quo tempore plerique eam illi contigisse visionem putant, dum in admirabili illa raptus extasi spectavit, quæ oculus non vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quæ DEUS præparavit diligentibus se. Ostenditur præterea fons, qui salutare ei præbuit regenerationis lavacrum. Item sepulchrum in quo contumulatum fuit corpus S. Ananiae, cuius medicâ manuum impositione suffusæ cæcitatibus tenebræ, tanquam squamæ ab oculi Sauli cecidere. Quem locum in nobilem Ecclesiam transfisse vetus fert traditio. Et quamvis hic locus à Turcis inhabetur, tamen introitus patet, oblato vel minimo nummo, Christianis, qui ibi. 7. ann. Ind. lucrantur.

C A P U T V. De Domo Ananiae.

AD orientalem Civitatis plagam conspicitur domus S. Ananiae, quem adinquirendum, curandum & catechizandum Saulum Dominus misit. In hac domo est quædam subterranea habitatio, ad quam per angustam portam & scalam descenditur ex parte orientali, ferè in triangulo dispositam, viginti passuum longitudinis & decem latitudinis continens, desuper ex duplice rotunda fenestra in concamerata lumen recipiens, quæ olim à Christianis in Ecclesiam consecrata, & usque ad annum 1560. divinis officijs frequentata fuit, nunc potentia Turcarum eam pro Möschea usurpat. Traditione antiquorum fertur Turcas hoc in loco turrim, sed irrito conatu molitos fuisse, pro cantu seu potius incondito clamore suorum Poparum seu Santonum, quo more gentis populus ad precatrices admonetur, quod verò magis fabricam in altum levare nitebantur, in ruderibus diurnum suum laboremane consepultum videntes, oleumque se & operam perdere, a pro-

proposito manum retraxere. In hac domo Ananiae Christus appa-
riuit dicens: *Anania surge & vade in vicum, qui vocatur rectus, & quare
in domo Iudea Saulum nomine Tarensem, ecce enim orat.* Hic discipulus
Domini, Paulo fideli operâ suorum insidias damascenorum evaden-
te, munus suscepit Apostolicum, cùmque Damasci & Elevtheropoli
alibique Evangelium disseminasset, sub licinio Judice nervis cæ-
sus & laniatus, Demum lapidibus oppressus martyrium consumma-
vit, testante Martyrologio Romano 25. Januarij. Locus deco-
ratus est 7. an. Indulg.

Aet. 9.

C A P U T VI.

D e Loco Creationis primi hominis.

Extra civitatem Damasci occurrit quidam visu dignus cam-
pus, quem intersecat fluvius Abana, cuius honorificam
mentionem fecit Naaman leprosus Princeps militiae Regis Sy- 4. Reg. 5.
riæ. Hic campus latitudine sua attingens medium milliare,
in sui meditullio erëtam exhibet columnam marmoream,
quâ opinantur nonnulli signari incunabula primi è gleba terræ for-
mati hominis. Potior tamen opinio svadet credere hanc molem
marmoream funestum esse monumentum Cajniræ invidiæ, quæ
terram virginem sanguine Abel Justi fratribus devirginavit. Con-
sonatque appellatio loci in Arabo *Abil ab Abel* hic perempto & tu-
mulato, in cuius honorem S. Helena Ecclesiam erexit. Divus
Hieronymus idem confirmat, scribens in Ezechielem & Amos Pro-
phetas: *Damascus locus est, ubi dicitur occisus Abel à fratre suo Cain,*
qua causa locus dictus est Damascus, id est sanguinem bibens. Sic &
DEUS exprobrans Caino fratricidium ajebat, aperuisse terram os
suum & suscepisse sanguinem fratribus sui de manu sua. De loco ve-
rò Generis primi hominis fert communis opinio, & magnæ autho-
ritatis scriptorum concludit, pluralitas Protoplæsten generis hu-
mani plasmatum suisse non longè à nova civitate Hebron, inter
amicena loca & delitiosas vineas, & perfecta creatione translatum
in Paradisum terrestrem, ut loquitur Scriptura: *Tulit ergo Dominus*
DEUS hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis. Ubi verò post
admis.

Genes. 2.

O

admissum peccatum ad stivam & aratrum condemnatus, exulare
jussus fuit à DEO, huc redijt ad faciendam pœnitentiam. Porrò
terra ex qua formatus fuerat, subrusa in modum ceræ mollis & fle-
xibilis est, quam Mahumetani pretio distrahunt per Ægyptum,
Æthiopiam usque ad Indos. Ab Hebreis vocatur *Adama* in me-
moriale perenne ex ea sumpti Protoplantis nostri Adami, cuius no-
men idem sonat quod terrenus aut rufus.

C A P U T VIII.

De Valle lachrymarum Adam & Evæ.

Hinc ad explosionem manualis tormenti bellici contra Occi-
dentem se offert quædam specus sub rupe, sub qua fertur
Adamum & Evam non solum lachrymis parentasse filio suo Abel,
sed etiam peccatum proprium, quod hereditariâ labè, à se tanquam
vitiata radice transfunderetur in omnes, diuturna & fructuosa an-
norum centum pœnitentia planxisse, ut locus tantò lachrymarum
irrigatus profluið, vallis lacrymarum dictus sit. Ibique leðti co-
rum in petra excavati, fonsque ibi scaturiens ostenditur, ex quo
bibentes potum suum cum fletu miscebant. Et probabile quidem
& rationi consonum videtur esse, prudentem virum suo periculo
cautum reliquisse locum deliciarum seu proximiorem Paradiso,
quem sibi fuisse noxiun & occasionem ruinæ, expertus fuerat, &
alterum pœnitentiae juxta Hebron & circa partes Jerusalem dele-
gisse: in quo forte revelatione divina didicerat, Reparatorem
generis humani Adam secundum nasciturum, & operatorum salu-
tem omnium in medio terræ, quam ipse suâ culpâ perdidera, ut
& ipse DEO reconciliatus Paradisi cœlestis januam intraret, quam
sibi & posteris clauerat. Ita mens est multorum Patrum, unum
audiamus Magnum Basilium: *Obtinuit fama quædam in Ecclesia me-
moriā conservans, non quidem scripto proditam, quæ talis est: quod
prima utique Iudea hominem habebat accolam, nimisrum Adam, simul-
atque excidit delicijs Paradisi, in hac terra collocatum, ad mitigandum
jacturam bonorum quibus fuerat executus. Prima igitur etiam mortuum
hominem excepit; qui & illic eam, cui addicctus erat sententiam conde-
nationis plenè est executus.*

Addo

Addo ego nonnulla Terræ sanctæ memorabilia, raro tamen à peregrinis frequentata, nisi aliquis à Bethlehem iter instituere vell ad monasterium S. Sabbae, duobus & medio milliari germanico dissitum. In hac igitur via oculis spectandæ se offerunt deliciosæ illæ & Scripturæ sacræ celebres *Vineæ Engaddi*. Apparent enim quidam de terra protuberantes colliculi, velut in signum, hic radices quondam egisse vites illas, de quibus Salomon in sacro suo Epithalamio in persona sponsæ cœlestis, sumpsis materiam pro Hieroglyphico Sponsi: *Botrus Cypri dilectus meus mibi in vineis Engaddi*. Aliqui opinantur, has vineas non fuisse fertiles uavarum vinum producentium sed balsamum, nomine tamen vinearum censeri, quod frutices balsami in morem vinearum excolerentur. Hujus horti balsamiferas vites tempore Herodis Magni Cleopatra, concedente Antonio, invidens tantæ felicitati Herodis, in Aegyptum transtulit, ubi à fonte jugi perennitate irrigabantur. Baronius ex Plinio notat: ubi agens de spolijs Rōmam è Judæa à Tito vastata allatis, balsami arbustulas Rōmam translatas fuisse, quæ forte remanerant, vel denuò germinaverant post aliud in Aegyptum translatum balsami frutetum; quanquam ante Titum Pompejus Magnus in triumpho arbores has duxerit ut assertit Plinius. Nec ita studiō Victorum hos balsamiferos palmites penitus excisos esse dixerim, cùm ut videbimus gleba Jerichontina ijs usque modò glorietur. Non errabit tamen qui dixerit & uavarum vini & balsami hæc vineta Engaddina fuisse fertilia; modò tamen nec viniferos nec balsamiferos palmites hic reperies, nec Civitatem veterem Engaddi, sed Indulg 7. an.

Cant. 1.

Baronius

Tom. 1.

Annal.

sub an.

Christi 73.

n. 6.

Plinius L.

12. c. 25.

CAPUT VIII.

De Botro Cypri.

Cum botrum Cypri audis, non veniat tibi in mentem memorari vineas illas Insulæ & Regni Cypri im mari mediteraneo situati, quanquam & hujus Cypri alijs transmarinis præferantur, & hujusmodi aestimare me docuerit experientia: sed sermonem esse de Cypro in Judæa. De hoc multorum tradit opinio, fuisse quendam montem quasi promontorium illarum vinearum, in quo

producebantur botri pretiosissimi & liquoris generosissimi. Fuit
& hic Civitas Cyprus dicta, id est pulchra, quam ad animi oble-
etamentum speciosam fecere, & in modum coronæ cinxere, & fru-
gum fecunditas & vinearum fertilitas; prout non abs re expri-
munt in tabulis suis geographicis, qui Palæstinæ situm descripse-
runt.

C A P U T I X.

De spelunca Odolla.

Vitis viniferis aut balsamiferis quondam collibus Engaddi,^{1. Reg. 24.} emenso circiter medio milliari, intrantur memorandæ duæ montibus incubantes speluncæ. Quarum una est longitudinis 52. palmorum, latitudinis 24. Altera longitudinis 50. latitudinis pariter 24. In hanc velut asylum se recepit David fugiens à facie Saulis. Has autem sacer Textus appellat *Engaddi*, propter loci vicinitatem, & quia ad hanc vineam pertinebant. Hic locus tu-
tissimus erat propter abruptissimas petras, valles & montium an-
fractus, quæ solis ibicibus sive capris silvestribus perviae erant ut Scriptura loquitur. Ad hanc speluncam Sauli ingresso, ut huma-
num quid passus, ventris egereret onera David oram chamydis præ-
cidit silenter, ut omnino latuerit Saulem hæc vestimenti decussatio.
Humano an miraculo modo id contigerit, utrumque sustineri potest. Vel DEUM surditatem dedisse in aures Saulis ut non au-
diret strepidum David accendentis, quomodo factum fuit, dum Da-
vid descenderet ad Castra Saulis, & afferret lanceam & scyphum
aqua, qui erat ad caput Saulis, hoc tamen non fuit ex aliquo acci-
denti, quia non erat ulla tenus verisimile quod in omnibus castris nullus vigilaret: sed DEO sic ordinante, ut nullus videret, intelli-
geret & evigilaret, quia sopor Domini irruerat super eos. Vel huma-
no modo liberatum fuisse Davidem, Saule ad alia in spelunca illa intento: et si enim Davidem quereret, tamen ibi esse non cogita-
vit, nec de ipso consideravit, sed de alleviando ventre, &
de illo alibi querendo. Et forte irà percitus ad hoc non advertit,
quomodo Judæi JESUM in horto comprehendere volentes, quam-
vis longâ conversatione & miraculis illis cognitus esset, verum
^{factus}

factus illis obvius & interrogans quid quererent, non illum tamen cognoverunt, irâ aliâve passione præpediente, quia ut quidem Sapienter dixit: *impedit ira animum, nè possit cernere verum.* Quod verò Saul solus & inermis hoc subterraneum latibulum non expaverit, aliquorum fert opinio, Saulem vidisse interiorem aditum tellis aranearum pertextum, qui omnem recentis latebræ suspicionem submovisset. Quod Davidi DEUS viro secundum cor suum facere potuit, quomodo & Martyrem suum Felicem Nolanum ut Breviarium refert 14. Janu, tam fragili texturâ servavit, in angusto duorum murorum intervallo à furore persequentium. Ad rem legente Paraphraste chaldaeo verba illa Psal. 86. *Clamabo ad DEUM Altissimum, DEUM qui beneficit mihi;* hoc modo: *Orabo coram DEO Altissimo & forti, qui accessivit araneam, ut perficeret in ore speluncæ telam propter me.*

C A P U T X.

De Laura S. Sabbæ.

A Spelunca Odolla ulterius prægrediendo Orientem versus visitatur antiquissimum & sanctitatis famâ quondam celebratum Cœnobium S. Sabbæ Abbatis: quo titulo insigniri locus meruit, quoniam juxta assertiōnem omnium S. Sabbas hujus religiosi domicilij author fuit, & primus Archimandrita tot sanctitate illustrium cœnobitarum. Cujus mater cum divitijs floreret turrim eminentem & solidissimi operis construi fecit, ut ibi habitantes Monachi affirmant, quæ quasi munimentum foret Monachorum ibi servientium DEO ad retundendos impetus latrunculorum, quæ & hodienum ibi degentibus pro specula est, nè eos Arabes undique prædam agentes improvisos adoriantur. Cœnobium hoc dictum *Laura S. Sabbæ*, nomenclaturam à Lauro trahere videtur, quæ quemadmodum virentibus semper vestitur folijs, sic Laura immarcescibilem quondam signabat vitæ sanctitatem antiquorum Patrum, qua virebat locus iste, ex quo ad triplicem laureolam Doctorum continentium, & Martyrum multi viri sancti transiere in cœlum. Hic quondam tam auctus numerus erat servorum DEI ut quædam DEI castra viderentur, nam ut antiqua referunt mo-

numenta uno eodemque tempore ibidem & in conterminis locis
habitasse undecim, vel ut alij dicunt quatuordecim millia Mona-
chorum, sub unius regimine superioris. Nec fidem excedit huma-
nam; nam spectata amplitudine veteris fabricæ, tot cellulis &
concamerationibus in rupibus yallis, quæ à monasterio usque ad
mare mortuum protenditur spatio ut Quaresimus dicit Elucid.
Terræ S. l. 6. c. 9 peregrin. 3, quatuordecim milliarium circiter,
quibus montes perforantur, facile rei veritas eruderari potest, in-
gentem planè fuisse numerum cenobitarum: quorum vietus te-
nitus non delicias præbebat, sed mortem arcebat, utpote ex olivis,
daçtylis, leguminibus, herbis & radicibus, more Eremicolis usita-
to. Hic magnus servorum DEI numerus, nunc sub jugo Turca-
rum redactus est ad paucos Monachos schismaticos. Ecclesiæ duæ
videntur, major una, minor altera. Ex hac Laura, Martyrii lau-
reolam consecuti sunt sexcenti ab infidelibus pro fide pereempti.
Monachi, quorum corpora in pace sepulta requiescunt in quadam
cella obmurata. Sanctus vero Sabbas in patrio solo Cappadociæ
diem supremum obiit, exinde Lauram translatus, ubi breviculum
in quo sacra ejus Lipsana condita fuere, monstratur; postremò
Venetijs honorificum nauctus est tumulum in Ecclesia S. Antonini.
Nostræ Religiosi comitantibus Peregrinis locum hunc fermè omni
anno in feffo SS. Innocentium divinis officijs frequentant, & Mis-
farum sacrificijs honorant, qui Monachis aliquam sportulam cibo-
rum esorialium deferentes, reciproca civilitate pro modulo
ipsorum excipiuntur. Locus gaudet, 7. an. Indulg.

TRACATUS XIX.

In quo describuntur sanctuaria supra Montes Judææ conspicua.

Ad imitationem tritum Regum orientalium, qui superni lumi-
nis ductu, & fulgore novæ stellæ indice, venientes in Beth-
lehem visis incunabulis Salvatoris & adorato DEO Homine, per
aliam viam reversi sunt in regionem suam; devoti peregrini lustra-
tis sacri Bethlehemitici antri memorijs, pariter revertuntur viâ alia
ad

ad sanctam Jerosolymorum Urbem, tanquam proprium Palæstinae visitantium diversorum. Per viam nempe montium Judææ, in qua & alia invisuntur loca, cœlestibus consecrata mysterijs, ac magnis Indulgentiarum locupletata gratijs. De quibus sit

C A P U T I.

De Fonte Philippi.

EX locis Bethlehemiticis pergendo ad locum nativitatis Praecursoris Domini, primus occurrit in quo Evnuchus Candacis Reginæ Æthiopum Thesaurarius, & Praefectus super omnes Gazas ejus, adoratō DEō in Jerusalem, quoniam Proselytus ex Gentilitate ad Religionem mosaicam conversus fuerat: revertebatur, sedens super currum legēnsque Isaiam Prophetam; in cuius occursum à Spiritu sancto missus Diaconus Philippus, adjungensque se currui, evangelizavit illi JESUM, & unda salutari baptismi ad magnum fidei incrementum lavit Æthiopem. Philippus autem ab oculis Evnuchi à spiritu DEI raptō, & in Azotum translatō, Evnuchus ibat per viam suam gaudens pretiosum veræ fidei munus in patriam referens: in qua eximium fidei præconem se exhibuit, & plurimos per Evangelium JESU Christo peperit, pertransiensque Arabiam felicem, & in insula Taprobana, inque universa Erythra fidem, quæ est in JESUM Christum, annuntians, Martyrium gloriösè tulisse ibique sepultum esse, tradit ex alijs Dorotheus in sinopsi, affirmans Cometerium ipsius munimentum insuperabile esse fidelium, Barbaros scelestos fugans, morbos pellens & sanationes operans prodigiosas. Fons iste, in quo per novæ regenerationis lavacrum vir ille Æthiops dealbatus suit, distat à Bethlehem milliari uno & medio, in valle torrentis botri, juxta Betfur ad radicem montis ebulliens, qui ab eadem in qua gignitur humo, sorbetur. Teste Bonifacio l. 2. de perenni cultu Terræ sanctæ. Vallis verò Torrentis Botri ideo cognominatur, quia usque eo pervenientes exploratores à Moysè missi per desertum & montium anfractus, in signum fertilitatis Terræ à DEO promissæ, abscederunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in veste duo viri. De malis quoque granatis & de fisis loci illius tulerunt, qui appellatus est Nebelcol, id est Torrens botri,

ed

Num. 13. *ed quæd botrum portassent inde filij Israël.* A dextra parte fontis remanent vestigia cuiusdam Ecclesiæ, crediturque à fidelibus fuisse constructam in memoriam baptismi & conversionis Æthiopis per Philippum. Hiclucrables sunt 7. an. Indulg.

C A P U T II.

De domo in qua natus est S. Joannes Baptista.

Es. Joannis Baptista indè appellatam, quia hic Præcursor Domini in lucem editus sit, Matre Elisabetha de filiabus Aaron, Patre verò Zacharia & ipso Sacerdotalis ordinis de Vice Abia, inter superiores Familias genere nobilissimis: qui ambo justi ante DEUM, & incedentes in omnibus justificationibus Domini sine quærela, sancti Thorii hunc in utero sanctificatum suscepérunt frumentum. Nec supervacanea est hæc locorum multiplicatio, ut Joannes alibi dicatur conceptus, alibi natus; cum in similibus ipsa scriptura fidem adstruat, quomodo Sara in convalle Mambre Isaac filium suum concepit, & in Geraris peperit. Et Rachel enixa est Beniamin in terra Juda in via quæ dicit Ephratam, quem constat concepisse in Mesopotamia, & ipse Salvator noster conceptus in Nazareth, natus est in Bethlehem: sic & fieri potuit ut Elisabeth partus sui tempore appropinquante aliqua de causa, vel Spiritus sancti impulsu, quo repleta erat, ad hanc villam, domui suæ propinquam diverterit, cuius, ut alijs placet, Zacharias Dominus fuit; & sic accelerante pariendi tempore, Joannem materno sinu effuderit; ut qui antra deserti teneris sub annis civium turmas fugiens, periturus erat, futurorum quodam præludiō non in paterna domo sed veluti solitario loco nasceretur; cùm continua traditio hoc ferat, illustrissimi confirmata monimentis. Nec contextus S. Luke c. i. visitationem B. V. & nativitatem describens S. Joannis, urget credere utrūque in eadem domo contigisse, cùm institutum ejus solum fuerit mirabilia, quæ in domo Zachariæ contigerunt, intrante & ibi habitante B. Virgine, recensere; minùs verò principalia relinquere, an Joannes natus sit in domo Zachariæ ubi creditur conceptus, & in qua B. V. salutavit Elisabeth, an potius in

Gen. 18, 21

in altera: hæc enim reliquit patribus, ut per generationes enarrarent filijs suis. Hic Sanctus locus multis annis, ex Ecclesia à S. Helena sumptuosè ædificata, injuria temporum in receptaculum degeneravit caprarum & pecorum permansítque dirutus & desertus. Anno verò 1621, motus tenero devotionis affectu Reverendissimus Pater Thomas de Navarra Guardianus Hierosolymitanus, sicut pro Nazareth ita & pro hoc loco, magnis sumptibus apud Portam Ottomannicam feliciter effecit, ut locus pro inhabitacione Fratrum nostrorum concederetur. Juratus autem divini honoris hostis, qui DEO in sancto suo Præcursori tribuebatur, lethale pagi incolis in fratres inspiravit odium, armavítque in fratum excidium, ut vi & armis fratres ad necem quærerent. Restitüre tamen divinā protegente dexterā conjuratorum multitudini Fratres, quoūque hic nefarius ausus, famâ perferente Hierosolymam ad prætorium turcum pervenisset. Quod ad manutinentiam supremi sui Principis autoritatem, vim vi repellens, maurisque pulsis, fratres Hierosolymam salvos perduxit. Lugebant ergo viæ hæ Joanneæ, cō quod non esset, aut planè raro, qui veniret ad solennitatem. Tandem Anno 1679 mediantibus Legatis Christianorum Principum, P. Marinus Sormannus ab Aula Constantinopolitana obtinuit decretum, ut fratres nostri in pacificam loci possessionem restituerentur. Progressu verò temporis, anno videlicet 1691, à fundamentis excitatum est novum monasterium forma non contemnenda, in cuius medio insignis consurgit basilica, sex aris sacris decorata, cuius pavimentum marmore nigro & albo mira elegantiā variatum, jucundum intuentibus præbet spectaculum. Præcursoris Domini Capella seu locus nativitatis in capite Ecclesiæ à latere sinistro cernitur, ad quem per gradus marmoreos descendit. Altaris forma regulata est ad normam antri Bethleemitici; excepto quod stella signans locum, ubi materno utero effusus sanctus pufio reclinatus fuit, non sit ullo formata argento, sed marmore miro opere fabrefacta & tessellata. Sub Altari sumptuosa elegantiā sculptæ imagines mysteria vitæ S. Joannis exhibent. Lampades semper 6. ardent sub altari, exceptis alijs per totum subterraneum illud Sacellum & ejus gradus dispositis. Hunc locum contemplans D. Bonav. ait: Peperit Eli-sabæth

S. Bona-
ventura
vita Chri-
sti c. 5.
sabéth filium, quem Domina levavit à terra, & diligenter aptavit, ut ex-
pediens erat. Parvulus autem quasi intelligens ipsam aſpiciebat, & clini-
cum matri porrigeret vellet, ad eam caput vertebat, & in ea ſolū delecta-
batur. O felicem infantem, quem calorū Regina natum exceperit! ſi ra-
tionis uſu pollebat, quis poſſit ſando explicare, quanta in DELparā gremio,
tum Virginī tum Chriſto maximè coniunctus, latitia exilierit? conſidera
magnificentiam Joannis, nullus unquam talem gerulam habuit. Hic lo-
cū visitantibus dat gratiam perpetuę Indulgentiæ plenariæ. In
hoc Conventu omnes peregrini prout & in alijs convetum tam
Ortho-quām heterodoxi omnigena hōpitalitate excipiuntur, qui
dehinc ad alia circumjacentia sanctuaria veneranda mittuntur.

C A P U T III.

De Fonte B. Virginis.

EX Conventu discedentes peregrini visitaturi alia sanctuaria,
ordinariè primam stationem in via figunt ad fontem B. Vir-
ginis: qui à muris monasterij elongatus, quasi medio quadrante
milliaris, sub colliculo à finistris in magnam aquarum copiam fe-
ſfundens, qui largiter per campos vallēsque transiens mari magno
illabitur ut dicit Adrichomius in Juda n. 243. Paſſim fons B. Vir-
ginis audit, eō quōd ſacratiſſima Virgo, tribus illis mensibus, quos
in obsequium cognatæ ſuæ Elisabeth religiosa humilitate impen-
derat, ex hoc aquam hauerit tūm ſiti propriæ, tūm domesticæ in-
digentiae cognatæ ſuæ providendo. Huic fonti adjunxerē in mo-
dum facelli Mahumetani ſuam Molcheam, cū jugiter hic manans
latex fontis, optimam pro corporibus abluendis eis præſtet com-
moditatē, qui pro more gentis ſuæ inolito, antequam preces
fundant, aquis abluuntur; mundantes quod afforis est, intus fer-
vantes æthiopem.

C A P U T IV.

De domo Zachariæ.

AD finistram monticulum ascendendo ab hoc fonte, intratur
domus S. Zachariæ patris Magni Joannis Baptistæ. Ad
quam

quam ex Nazareth cum festinatione jam Verbum æternum uterð
gerens, abiit MARIA ut salutaret Elisabeth, & Christus suum san-
ctificaret Præcurforem. Apud hanc MARIA mansit mensibus
tribus, non solùm familiaritatis, sed etiam tanti Vatis profectus
causâ. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, ut ad salutatio-
nem MARIÆ exultaret infans in utero, quantum putamus usū tanti tem- S. Ambros
poris MARIÆ addidisse præsentiam ait S. Ambr. In hac domo primum l. 2. Com-
audita sunt prophetica illa Cantica Magnificat, & Benedictr. qui-
ment.in.c.
bus magnificatur DEUS, quia respexit humilitatem ancillæ 1. Luc.
suæ, quam Unigeniti sui elegerat matrem, & benedicitur Altissi-
mus, qui Zachariam fecisset tanti filij patrem, quantus Joannes
jam in utero erat Propheta Altissimi, & Præcursor, Domini. Hæc
domus olim à pijs fidelibus in Ecclesiam fuit conversa eratque bi-
partita, una superiùs, altera inferiùs ædificata, cum adjecto mona-
sterio. Nunc verò restat una solummodo grotta, nudis lapidibus
cementō decrustatō apparentibus, reliqua ædificiorum mole in
ruderibus consupulta. Hanc frequentant ex Conventu S. Joan-
nis nostri Religiosi, omnique Sabbato decantatur Missa cum canti-
co Magnificat. Huic loco sacro affixa sunt Indulg. 7. an.

C A P U T V.

De deserto S. Joannis.

Praetato justo milliari gradiendo per vineas & campos mon-
tium Judææ septentrionem versus, pervenitur ad desertum
S. Joannis Eremitarum Principis, ut eum sancti Patres appellant;
in quo dum latitabat, uer cresebat & confortabatur spiritu: & erat in Luc. 1.
desertis usque ad diem ostensionis sua in Israël. Est autem in alta rupe
antrum in formam cubiculi, naturâ, an manu divina adaptatum,
cujus introitus attollitur in modum portæ unam continens fene-
stram per quam prospectus patet ad interiora deserti, & adjacen-
tem regionem. Extra antrum est fons limpidissimus aquæ vivæ
ex petra scaturientis, recipiturque primò in petra in modum am-
plæ phialæ eleganter excisæ, & inde præcipiti cursu & blando mur-
mure fertur per declivia montium. Hic fons, aquis alijs ab ure-
tibus solis radijs tepefactis nativum frigus retinens, advenientibus
P 2 delicio-

deliosum exhibit poculum. Crescit & in hoc fluviolo agreste nasturcium, quod aceto, oleo & Sale conditum, non ingratam præbet refectionem, qua & nos pasti sumus Anno 1710. Unde de hoc loco in nativitate S. Joannis canit Ecclesia: *Cui latex haustum, sociata pastum mellia locutis.* Per mel silvestre aliqui intelligunt mel quod super folia cadebat, seu quendam rorem dulcem, quomodo defacto medicis multum usitatum est manna Calabrinum, quod quædam coagulatio mellea est, potissimumque colligitur circa Rossanum. Vel ut Isidorus Pelusiota scribit ad Timotheum Lectorem Epist. 132. lib. 1. erat mel montanum quod ab agrestibus apibus conficitur. Alij probabilius asserunt fuisse Carubbe, seu siliquas, vel ut vulgo dicitur, panem S. Joannis, in officinis mercatorum frequentem, qui quendam melleum saporem suis includit folliculis. Et anno 1707. & 1710. monstrata est mihi ibidem arbor, quæ ob vetustatem & cariem suam reputatur pro una ex illis, ex qua cibum suum capiebat S. Joannes. Per locutas intelligitur forte animal insectum aereum, seu per aërem volitans, quod usque nunc vescuntur Arabes, præsertim desiccato. Ita pariter asserit vetus scriptor Adamnanus: *Idem autem noster Arculphus in illa solitudine, ubi Joannes habitabat, quoddam locustarum vidit minimum genus: quarum corpuscula in modum digiti manus exilia & brevia sunt; & quia earum brevis est volatus, simili levium in saltibus ranarum, facile in herbis capiuntur, & coctæ per oleum pauperem præbent victum.* Cardinalis Vitriacus loquens de viris solitarijs, qui in Jordanis soliditudine habitabant, et si dicat: est autem in partibus Syriae plerisque consuetudo, adveniente locustarum multitudine, eas colligendo & congregando ad viatum reservare: tamen subdit: *quæstori diligenter à quodam surianorum Monacho, cuju[m] cenobium in partibus illis erat, habens maximam Monachorum multitudinem, sub uno Abbatे vitam arctissimam ducentium, cuiusmodi essent locusta quas in solidudine illa Jordanica beatus Joannes manducasse perhibetur.* Qui mihi statim respondit; quod frequenter in refectorio suo, quædam herba Monachis apponebatur, quam ipsi languoram, id est locustam, nominabant; cujus circa monasterium suum magna habebatur copia, adjungens, quod illa esset, quam edebat beatus Joannes. Sed & de melle silvestri ex apibus in deserto illo frequenter copiose reperiebant. Hæc Vitriacus. Idem citatus Isidorus Pelusio-

Adam-
nanus
e. 20. ex S.
Arculpho.

Vitriacus
in hist. Je-
ros. c. 5.

ta

ta dicit: *Locustæ quibus Joannes alebatur, non animantia sunt (ut
quidam imperitè putant) scarabæ similia, absit: verùm herbarum ac Iſidorus.
plantarum summitates.* Addit Baronius: *Hæc cùm scribat Iſidorus,
& non nis̄ Majorum auctoritate, quid de his sentiendunz sit, definiens. Baronius
dum nobis non est, sed totum relinquimus Lectoris arbitrio.* Nam con- an. Chr̄isti
stat juxta græcam diſionem, & locustam infœci genus infirmas habens 31. n. 14.
alas ad volandum, & summitates herbarum significare. Quod cùm & 15.
non exprimatur determinatè in Evangelio, quibus usus fuerit
Joannes, nec certò statui potest; sed judicio relinquitur Lecto-
ris, quis horum magis communis ac proportionatus cibus Eremi-
tarum, ac magis ad manus fuerit. Qva verò ætate S. Joannes huic
solitudini illatus fuerit, audiatur Nicep. *Salvator quidem ita ut di-
ctum est in Ægypto exculabat, filius autem Zachariae Joannes, in cuius na-
tivitate patris vox soluta est, cùm primum ab illo Joannis nomen in tabula
fuisse exaratum, alterum cum dimidio annum agebat, & una cum matre
Elisabeth in spelunca quadam ad regionem montanam salvus conservaba-
tur, fortasse Herodis sanguinariam effugiens manum, atquè indè in solita-
rijs locū libenter versari solitus, angelique duce usus, in remotiores silva-
rum recessisse fecerit.* Cedrenus in compendio historiæ ait Elisabe-
tham 40. post supervixisse diebus, & in eadem spelunca diem obi-
isse supremum, qua defuncta, Joannis curam ab Angelo esse suscep-
tam. Joannem verò volunt hīc tribus annis cœlestem vitam du-
xisse. Hunc locum frequentant Fratres nostri crebrioribus Missa-
rum sacrificijs, ubi in holocaustum medullatum ipsos infantiae an-
nos consecravit DEO Præcursor Filij sui. Locus hīc dat Indulg.
7. ann.

C A P U T VI.

De Sepulchro S. Elisabeth.

Non longè ab hoc antro loco eminentiori situata est Capella,
cujus ara traditur fuisse sepulchrum piissimæ matris S. Joannis.
Et verisimile videtur conditorum fuisse materni corpusculi: nun-
quam enim in hac deserta solitudine, quæ vix hominibus pervia
fuit, construebantur aliqua delubra, nisi alicujus Sancti vel Sanctæ
incolatu locus fuisse illustratus, aut pretiosa eorum morte conse-
cratus; maximè si Cedreno paulò ante relato creditur, Elisabe-
tham

tham in hac eremo naturæ persolvisse debitum. Hinc descendendo de monte, per eandem qua venere viam revertuntur peregrini ad Conventum S. Joannis, inde Jerosolymam duobus circiter milliaribus, interceditque aliud quoddam monasterium, de quo fit.

C A P U T VII.

De Ecclesia & Monasterio S. Crucis, propè Jerusalem.

FActa visitatione memoratorum locorum sacrorum, prosequuntur pij peregrini per montes & colles iter suum semialtero milliari ad dexteram paulisper declinando extra communem viam, antequam Jerusalēm perveniantur, ad templum & monasterium S. Crucis. Hoc magnificum & sumptuosum templum ad honorem salutiferae Crucis fertur à S. Helena ædificatum ea ratione, quod ex loco ubi constrūtum est ut communī traditione assertur, præcīsum fuit lignum, ex quo crux fabricata statēta facta est corporis Salvatoris nostri, & reclinatorium aureum salutis nostrae Salomonico pretiosius, ad quod per tot effusiones sanguinis amor erga genus humanum Redemptori conſtraverat ascensum purpureum. Locus peculiaris in quo vitale illud lignum præcīsum perhibetur, sub majori Ecclesiæ arā monstratur, instratus tabulā marmoreā, cui peregrini devota infigunt oscula. Ecclesia hæc S. Crucis pulchra & spatioſa opere tessellato est delapidata, variisque picturis græcis exornata. Monasterium etiam nunc amplum munitum & commodum est, sed olim multò magis, ut ruinæ murorum demonstrant. Multū obnoxium est Arabum incursionibus, frequenter enim ibi divertunt & habitantes infestant cibum extorquentes, cùm in illa valle campestri nulla adsit domus, quæ eis in casu succurreret. Inhabitatur à Callogeris græcis, sive Georgianis Monachis. Lucrari h̄ic possunt 7. an. Indulg. Hinc parvo medio milliari itineri insistendo intratur Sancta Civitas per portam Bethleemiticam.

TRA-

TRACTATUS XX.

In quo loca Jordanem versus describuntur.

Asumpta peregrinatione periculosa semel in anno, feria vii. delicet secunda post Dominicam in Palmis (nisi ob rationabilem causam in aliam transferatur diem) Religiosi Franciscani in Conventu S. Salvatoris, Maronitæ, Græci, Armeni & aliarum nationum homines, Hebræis seclusis; quorum omnium numerus ad 3. vel 4. millia accrescit, cum assentia Bassæ vel alterius Gubernatoris assumptis armatis Jenitzeris, summo manè facta collatione vadunt ad vallem Iosaphat: ubi Mucari seu equorum conductores expectant, & hic sive differentia nationis, quilibet, ut fors cadit, jumentum accipit; indistinctè enim frœna equorum distribuuntur antequam jumenta videantur, aliquando tribus aut quatuor diebus antequam se viæ committant. Et sic cuius equi frænum sessori obtingit, bonus, malus optimus pessimusve sit, in manus traditur, nec delectus datur nec rejici potest, immo si conqueraris te malum accepisse, responsum feres, male equitabis, nec expecta ut contentus esse compellaris, & duo mala si tergiversaris patieris, & sustis & mali equi; nec valet si domi manere elegeris, quia verberibus tibi invito addetur calcar, & bene sustigatus jumento super injicieris.

CAPUT I.

De Fonte Apostolorum.

Terminato uno milliari Hierosolyma, & relicta à dextris Bethania, quod primitus observatione & veneratione dignum occurrit est fons, qui communiter ab harum partium incolis indigitatur *Fons Apostolorum*: vel ut alijs placet *Fons Christi*, desumpta denominatione à persona nobiliori. Fons iste in descensu viæ ad ejus lœvam partem aquam per canalem in marmoream urnam emittit, ex qua homines & jumenta commodè bibere possunt. Ratio nominis est, quia sancti Domini Apostoli cum suo Magistro, vele Jordane & Jericho ascendentis Hierosolymam, vel Jerosolymis

mis ad Jordanem & Jericho descendentes ex aqua illius bibeant,
ac ideo ex eodē fonte haustum devotionis gratiā bibunt peregrini,
quam sacrī labijs suis Salvator & ejus prælibavit Collegium Apo-
stolicum. Recreatur & aqua spiritualium gratiarum, quo fons
signatus est ab Ecclesia 7. an. Indulg.

C A P U T II.

De loco qui appellatur Adomim.

A Fonte Apostolorum insistunt itineri peregrini uno milliari
S. Hieron- perrupes & montes; ubi primō occurrit planities & locus
mus in dictus, *Adomim*, quod interpretatur *sanguinum*, teste S. Hier. *locus*
Epitap. *Adomim*, quod interpretatur *sanguinum*, quia multus in eo *sanguis cre-*
Paula. *briis latronum fundebatur incursionibus*. Quidam in hac parte nitun-
tur assignare locum, ubi homo ille descendens ab Jerusalem in Je-
richo incidit in latrones, cuius apud S. Lucam c. 10. mentionem
facit Salvator; verāe historia sit, an assumpta parabola à Christo
ad docendum interrogantem legisperitum, quis proximus homi-
nis censeatur, ex occasione hujus infestæ viatoribus via, meum
non est decidere. Alijs securioribus temporibus peregrini reliquā
Caravanā divertebant ad locum dictum S. Moysis, ubi Ecclesia in
Moscheam Turcarum conversa reperitur, quo nomine insignitam
dicunt, quoniam S. Moysen ducem populi Israël ibi tumulatum
credunt; sed mentitur Turcarum iniquitas sibi: Moyses enim
non transiit Jordanem ex deserto, sed *Mortuus est Moyses servus Do-*
mini in terra Moab jubente Domino, & sepelivit eum in valle terra Moab
Deut. 34. contra Phogor, & non cognovit homo sepulchrum ejus usque in presentem
diem. Alia ergo nomenclatura subest ratio, vel quia à fidelibus
ibi Ecclesia constructa fuit in honorem S. Moysis, vel quia aliquis
Sanctus hujus nominis ibi pœnitentiam egit aut sepultus est, con-
stat enim & Martyres & Anachoretas fuisse hujus vocabuli, quem-
admodūm celebris est Moyses Æthiops Abbas ille magnus, qui
cum multis Monachis in magna sanctitatis fama vixit. Modò non
accedunt eō Christiani, sed solum Turcæ infistentes opinioni sua
falsæ, à Jordane reduces.

C A P U T

C A P U T III.

De Civitate Jericho.

AD extremitatem montium Judææ perveniendo aperitur Val-
lis Illustris in longitudine adæquans milliaria 60. italica, in
latitudine verò 50. Reducendo ad nostrum geometricum
calculum erunt in longum milliaria duodecim & medium, &
quasi quatuor in latum. Per hanc inter viridantia nemorum
arbusta, à mari Galliæ seu Tiberiadis alveo suo labitur fluvius
Jordanis, qui tandem in lacum Asphaltitem seu mare mortuum
mergitur. Hic inamoenissima planicie conspiciebatur famosa
illa Civitas Jericho adeò firmis murorum septa munitis,
quæ non ferro pervia non ariete posset esse penetrabilis: cujus in-
expugnabiles muros buccinarum Sacerdotalium clangor, & populi
Israelitici conclamantis vociferatio die septimo subvertit, ut sacra *Josue 6.*
pagina habet. Hanc idem strenuus belli Dux in anathema Domi-
no posuit, & maledictionis interdicto supposuit virum, qui susci-
taverit & ædificaverit Jericho. Quam non timens Hiel de Bethel
multo post tempore sub Achab reædificare conatus est, sed ultrici-
cem manum Dæi non evasit ut dicitur *3. Reg. 16.* In diebus ejus *3. Reg. 16.*
ædificavit Hiel de Bethel Jericho: in Abiram primitivo suo fundavit eam,
& in Segub novissimo suo posuit portas ejus juxta verbum Domini, quod
locutus fuerat in manu *Josue filij Nun.* Tempore ob sidonis Jero-
lymitanæ propter Civium perfidiam capta & destrœcta est sub Ve-
spasiano, postmodum verò ab Adriano restaurata, tempore Divi
Hieronymi perdurabat. Cùm Terra sancta postremò à Christianis
occupata fuit, hæc civitas, quam Christi præsentia veteri quoda-
modo maledicto absolvit, restaurata fuit, atque Ecclesiasticæ di-
tioni tradita: habuit Episcopum suffraganeum ut patet ex Guiliel-
mo Tyri Archiepiscopo. Campestria Jericho, seu latitudo cam-
pi Jerichontini, ab oriente Arabiæ, ab occidente Judææ monti-
bus terminantur; à meridie verò mari mortuo, à septentrione Ma-
ri Gallileæ conterminantur. Quæ si culta forent, apta nata sunt
ad omnia genera fructuum producenda. Reperiuntur cuncta
genera mirabulanarum, pomorum aureorum, arbores item Opo-
balissimi. Arabes enim colligunt grana quædam in arboribus illis
Guliel. I.
11. belli
Sacric. 15.
& l. 14.

nata, & ex illis oleum eliciunt, ad mitigandos dolores hypochondriacos & colicos, cuius medicam virtutem in se & alijs testatus est P. Bonifacius Stephanus, olim sacri montis Sion Guardianus, postea Stagni Ragusini Episcopus.

C A P U T IV.

De domo Zachæi.

IN præsentia regia hæc & quondam opulenta civitas Jericho in pauperulam villam versa, aulæque & ampla palatia in exigua mapalia ac tuguria mutata à brutis Arabibus & rusticis Mauris inhabitata, nihil memorabile exhibet præter domum Zachæi; quam mansionis suæ claritate nobilitavit Salvator, instruente convivium Zachæo: in quo si unquam jucundiùs epulatus est Dominus, dum princeps hic publicanorum ad dandum gustum beatissimo cordi ejus, regalem planè missum misericordiæ & justitiae una lance triclinio intulit, dimidium bonorum suorum largiendo pauperibus, & malè parta in quadruplum restituendo. Überem hospitij sui referens mercedem cuius domus antehac usurarum latibulum, conversa est in salutis sacrarium, & servus maimonæ iniquitatis ad filiationem receptus est filiorum Abrahæ; atque post resurrectionem Domini ad lucra deputatus animarum, ab Apostolis in Cathedram episcopalem Urbis Cæsariensis in Palæstina sublimatus fuit. Hæc domus Zachæi formam cujusdam turris exprimit, quam visitantes lucrantur an. 7. Indulg. Locus verò ubi JESUS appropinquantis Jericho cœco visum restituit, & alterum de Jericho proficiens Bartimæum cœcum lumen cœli fecit videre assignari pro certò non potest; sicut nec arboris Sycomori, ex qua novum videlicet novi temporis pomum ut S. Ambros. loquitur lib. 8. in Lucam Salvator collegarat, Zachæum nempe statu' pusillum, sed regno cœlorum maturum, ac oculis Domini gratiosum. Hæc arbor temporibus nostris non monstratur, forte ab Arabibus præcisa, vel aliqua occasione evulsa perierit. Inter alia germina quæ gleba Jerichontina producit sunt celeberrimæ illæ Rosæ in sacris litteris commendatae: Quasi plantatio rosæ in Jericho; quarum gloriam in encomium Reginæ cœli sancta Mater assumptæ Ecclesia. Formam ejus

Luc. 18.

Marc. 10.

Ecclesi. 24.

ejus non facile est describere aut delineare, cùm diversæ sint appa-
rentiæ, quæ rosæ cùm etiam in his partibus multorum sint in mani-
bus, facilius oculis subjici possunt, quàm verbis depingi. Christia-
nus Adrichomius agens de fonte Elisei, vult eas nasci in arboribus
spinosis, sed experientia optima magistra rerum docet, eas imme-
diatè de terra succrescere, & ex terra suam derivare originem, in-
dèque evelli: nisi Adrichomius alibi & non in Jericho talem vi-
disset earum nativam productionem. Hæc rosa insigne est sym-
bolum Marianæ humilitatis, utpote quæ ipsam adlambens terram,
humilitatem ejus indigit ancillæ, quam respexit Dominus; na-
scensque sìne spinis ab omni peccati aculeo figurat illæsam. Quod
idem Adrichomius tradit rosas illas in nocte natalitia Salvatoris,
licet siccas & aridas sese recludere, in testimonium virginæ par-
tus: dico. ego quocunque anni tempore id contingere, quod
aquaæ immersæ sese repandant & ramosa segmata sua explicitent,
cujus aquæ usum, præsertim ope DEI paræ implorata in salutem
parientium, mirificè conferre constat.

Andricho
in Benia-
mim, n. 63.

C A P U T V.

De fonte Elisei.

Inter civitatem Jericho & Quarantanæ montem, quædam aquæ
rum venæ largius erumpentes & in unum locum confluentes
fontem efficiunt, qui communī vocabulo *fons Elisei* vocatur. Hu-
jus nominis ratio illa fuisse creditur quod Propheta receptus ho-
spitio ab Jerichontinis, eosque civiliores expertus, ipsos & omnem
regionem perpetua gratia remuneratus sit. Cùm enim situs re-
gionis optimus esset, aquæ verò pessimæ, amaræ & insalubres, quæ
non solum terræ atque lignorum fructus, sed etiam fæminarum
partum obtunderent, cunctaque pariter morbo ac peste corrum-
perent teste Josepho, meritis & ministerio famuli DEI dulcissimæ
& Saluberrimæ redditæ fuere. Annuens enim Propheta precibus
Jerichontinorum, & tollens lagenam fistilem sale impletam, egref
fusque ad fontem aquarum, illumque in aquam profuentem mit-
tens, aquas pessimas in optimas & salutares mutavit; quæ ductæ
in varios rivos; hortos & campos hujus regionis irrigant & fœ-

S. Josephus
l. 5. bel.
Judaici c.
14.

Q. 2

cun-



4. Reg. c. 2.
cundant, atque ita elementum quod antea causa hujus orbitatis & sterilitatis fuerat, idem fecunditatis effectum est; medelam ad preces Prophetæ indè sumens, undè priùs nativa & sativa terra læserat, referente id ipsum Scriptura S. *Hec dicit Dominus sanavi aquas has, & non erit in eis ultramors, néque sterilitas. Sanatae sunt ergo aquæ usque in diem hanc, juxta verbum Elisei quod locutus est.* Ex insigni itaque miraculo, aquæ hæ nomen fontis Elisei retinuerunt, cui loco adjunctæ sunt 7. an. Indulg.

CAPUT VI.

De sacro monte & deserto Quarantana.

S. Maxi-
mus.
S. Gregor.
Nazi.
Antricho.
in Beniam
n. 97.
Postquam JESUS Christus DEI Filius, Agnus ille immaculatus aquas Jordanis elegerat ut à Joanne baptizaretur, purissimique corporis atta&t fluenta Jordanis consecraret, suūmque simul purificaret baptistam, ut ex mente S. Maximi Episcopi hom. 1. de Epiphan. loquar, ac S. Gregorij Nazianzeni Orat. 1. in lumina: *ut & veterem Adam sepiat in aquis; ascendit JESUS de aqua secum quodammodo demersum educens & elevans mundum, ac statim Spiritu lan-*
eto plenus regressus à Jordane agebatur in desertum, ubi hunc ad tentandum spiritus malignus inveniret: exordiens sacratissimum quadragenarium jejuniū, & ab ejus decursu montem & desertum Quarantana denominandi occasionem dedit. Advertendum tamen aliud esse loqui de deserto & aliud de monte Quarantana, cùm desertum illud tanquam locus communis, mons vero tanquam proprius sit. De Quarantana deserto scribit Adrich. *Quaranta-*
næ desertum inter Jerusalem & Jericho incipit iuxta Anathot, & extenditur super Galgala, usque ad desertum Thecua & Engaddi iuxta mare mortuum. Hic commoratus est Joannes Baptista, secundum quod superius dictum est verbis S. Lucæ erat in desertis, plura & non unum solum sacro incolatu suo illustrando, inibique in ejus memoriam extrudafuit Ecclesia & monasterium, quod graci monachi inhabitabant, sed temporibus Breidembac erat desolatum. Ibi venientem ad se, ut baptizaretur, Christum digito demonstravit Joannes: Ecce agnus DEI. In his Christum jejunavit quadraginta diebus & noctibus, agens & habitans cum bestijs: Hæc ille. Et in eodem non paucos sanctos Anachoretes virōs.

virōsque solitarios ad exemplum Christi, Eliæ, & Joannis pœnitentiam, egisse firmissimis traditionibus habetur. De Quaranta-na verò monte tum ex alijs tum à se observatis testatur Quares-mius noster, in montem istum propè fontem Elisei esse, & altissimum inter montes Iudeæ, ascensuque difficultissimum, hinc plurimi viæ difficultate perterriti, cùm reptando ascendatur, & callis admōdū angustus sit ut pedem vix figere valeas; ad haec ex una parte faxis in muri similitudinem decussatis coarctetur, infra verò ad partem orientalem præcipiti & profundissimâ valle intuentium oculos perstringat, eminūs tantum à plurimis devotis peregrinis salutatur. Ex hac eadem orientali parte tria sunt antra, quæ in facella adaptavit S. Helena Constantini Magni dignissima Mæter: In superiori creditur fuisse Christus, quando tentator accessit & dixit: *Sifilius DEI es, dic ut lapides isti panes fiant.* Defa Etō picturæ Matth. 4. Christum & Satanam obscuris & evanescentibus coloribus exhibent. Locus hic honoratus est Indulgentia plenaria perpetua. Juxta hanc cavernam reperiuntur aliae duæ majores in loco demissiori; huc omnes peregrini accedunt ad venerandum hoc pœnitentiale Salvatoris domicilium, decantatürque Evangelium S. Mat-thæi: *Ductus est JESUS in desertum, &c.* Missaque legitur si facultas suppetit, quæ tamen vix aliquando adest.

C A P U T VII.

De flumine Jordanis.

Hac visa sacro horrore plena solitudine pervenitur ad flumen illud famosissimum Terræ promissionis Jordanem. De quo S. Hieron. sic refert: *Jordanis oritur à radice Libani; & habet duos fontes unum nomine Jor, alterum Dan, quisimul mixti Jordanis nomen efficiunt.* Plinius verò ait: *Jordanis amnis oritur à fonte Paneade.* S. Hiero. in c. 16. Mat. Plin. l. I. c. 5. Joseph. l. 3. de bell. Jud. c. 18. & l. 15. antiquit. Hegesipp. l. 3. de ex-cid. Hier.

Paneade verò nomine Dan intelligit, qui *Danus, Paneas & punicus* dicuntur. Unius itaque fontis nomine duos intellexit tanquam in unum confluentes, & *Dan* tanquam principalioris. Joseph., cum Hegesippo & alij assertunt ipsum ex ipsa Trachonitide & fonte quodam rotundo, aquis semper redundantem, nec ejus labra exundante originem trahere, qui *Phiala* ex figura sua appellatur, quantumque aquæ Q 3

aqua ex ejus radice manat, tantum per subterraneos meatus in
fontibus Jor & Dan effundi non procul à se diffitis, & propè Cæsa-
ream Philippi ad radices montis Libani; qui in unum coëuntes ad
portam Urbis fluvium Jordanis ordiuntur; & experimento fuisse
comprobatum scribunt sub Philippo Trachonitidis Tetrarcha.
Verba sunt Josephi: *Jordanis fons Panium esse videtur, sed revera buc*
terra conditus fertur, ex ea quæ vocatur Phiala. Cumque diu ignoratum
fuisse esse Jordanis, principium, à Tetrarcha quondam Trachonitidis
Philippe deprehensum est. Is námque missis in Phialam paleis, inventit
eas apud Panium redditas, undē ante fluvius nasci credebatur. Hæc ta-
men utrāque conciliari possunt. Eos, qui Jordanem ex Jor & Dan
fontibus erumpere dixerunt, locutos fuisse de illius immediatori
& notiori principio, alias verò qui ex Phiala oriri affirmarunt, lo-
cutos de remotiori & primaria origine. Nec obstat quod à Phiala
suam denominationem non trahat quemadmodum originem, hoc
enim ideo fieri potuit, vel quia multo tempore incognitum fuit,
quoniam id sub Philippo Tetrarcha exploratum est, vel quia ita
non manifestum est ex Phiala erumpere, sed manifestissimum ex
fontibus Jor & Dan. Et nomina non semper à primaria origine,
sed proximiori & notiori accipi conservaverunt; licet enim omnes
homines à communī generis humani parente originentur, non ta-
men Adamitæ, sed ab immediatoribus & magis cognitis genitori-
bus nomina sortiuntur. Nec in patre Abraham gloriantes Judæi
Abrahamicæ, sed à nepote Jacob seu Israël Israëlitæ, à pronepote
Juda Judæi appellantur ut notat Quaresm.
Quaresm. Inundatio verò Jordani
l. 6. c. 4. imputatur aquis confluentibus ex nivibus Libani resolutis, qui-
peregr. 6. bus montes ad Aquilonem vergentes perpetuò teguntur, ut habet
in elucid. Jerem. Nunquid deficiet de petra agri nix Libani, aut evelli possunt
terre S. aquæ erumpentes frigidæ & defluentes? quasi dicat nunquam defi-
cient. Aqua ejus cum per fundum cœnosum & argilosum fera-
Jerem. 18. tur turbida est, undē albidus in superficie quasi lac Jordanis vide-
v. 14. tur, sub fonte tamen Jacob apparet clarus & Crystallinus. Hic
fluvius paludem semechonitidem seu aquas Merom, & lacum Ge-
nesareth seu mare Tiberiadis medio fluento transiens, Asphalt co-
vel mari dicto mortuo immergitur, & duos lacus viator egredi-
s in tertio hæret, Circa fluvium hunc mirabilia operatus est Domini-
aus,

nus, nam Jordanis conversus est retrorsum, ut desuper venientes aquæ in uno mole confisterent, inferiores verò decurrerent, dum terram promissionis ingredientes filij Israël cum arca Domini, sic cis vestigijs transitum fecerunt. Similiter per Jordanem, percussis aquis pallio Eliæ, transferunt Elias & Eliseus. In Jordane Naa- *Josue 3.* &
man leprosus princeps militiae Regis Syriæ septies se lavans, lepro- 4.
sam carnem restitutam, ut carnem parvuli & corpus mundatum læ- 4. *Reg. 2.*
tus conspergit. Sed digniora in eo operata sunt tempore legis 4. *Reg. 5.*
gratiae, nam in Jordane baptismus poenitentiae, qui ad alterum 4. *Reg. 5.*
Christi disponebat, incepit: nam Joannes ad se confluentes Ju-
dæos, suaque peccata confitentes baptismio poenitentiae, in fide
ejus qui venturus erat, baptizabat. Et quod præcipuum est, in
Jordane Christus baptizari voluit, aquasque ejus suæ mundissimæ
carnis contactu sanctificando, omnibus aquis vim regenerandi ho-
minem spiritualiter per baptismum impertivit. Et quemadmodum
in principio creationis Spiritus Domini ferebatur super aquas, sic
& hic Spiritus Domini in specie columbae visus, ac paterna vox au-
dita est, *hic est filius meus dilectus*, &c. Hæc facta sunt quasi semi-
tertio milliari ab Jericho ad partem orientalem, ubi licet non sit
determinatè exploratus locus baptismi Salvatoris, peregrini ta-
men laudabili & antiqua consuetudine sine differentia loci ex Jordane
aquam hauriunt, quæ etsi turbida sit, aere tamen exposita
perlucida & clarissima redditur, & vasis inclusa non corruptitur
ut aliæ aquæ, sed quandam vim incorruptionis attraxit ex mem-
bris ejus, cuius corpus non vidit corruptionem. Sedes Apostoli-
ca hic concedit Indulgencias plenarias sine determinatione loci.
Matth. 3.
Joah. 1.
Huc adveniens Caravana seu coadunatus cœtus totius multitudi-
nis populi, duarum horarum solidarum spatiō subsistit. Nostris
verò Religiosi opere tumultuario interim exfruentes aram ad ri-
pam fluminis recta & adversa parte solâ intermedia tabula, quas
in bipartito altari Missarum sacrificia prosequuntur, quæ ordina-
riæ ad sex excurrunt, alijs Christianis pro pietatis suæ modulo pre-
cibus vacantibus, & quibus placitum est Jordanis aquis se abluer-
tibus. Hoc in loco vel circā, ubi à Joanne Christus baptizatus
creditur, in honorem baptismi Christi & S. Joannis olim insignis
conspiciebatur Ecclesia, quam murorum ruinæ & lapidum conge-
ries

*Josue 4.
v. 9.*

Osee. 9.

ries testatur, ad quam propè missæ dictæ celebrantur. Hic ele-
ctus populus transiens Jordanem, *castram etatis sunt in Galgalie, contra*
orientalem plagam Urbis Jericho. Quod nomen, ut Lyranus dicit,
per anticipationem positum est, quia impositum fuit postea illi lo-
co hoc nomen ut habetur Josue c. 5. In hoc transitu populi per
Jordanem ad Terram promissionis, duo Sacra menta quæ mortuo-
rum dicuntur, præfigurata fuerunt, baptismus & pœnitentia, qui-
bus peccatorum maculæ abluuntur, ut fideles corde mundati cum
Christo JESU in Josue præsignato, tanquam veri Israëlitæ ad Ter-
ram sanctam & viventium, ad DEI visionem beatificam transeant.
Hic progressu temporis fuit ædificata Civitas Galgala cum templo
ab Israëlitis, quæ deinde impietate eorum profanata fuit per im-
positionem & cultum Idolorum; quapropter ultione divina om-
nia deleta fuere, ut nec vestigium cernere liceat civitatis vel tem-
pli, dicente Domino per Oseam. *Omnis nequitas eorum in Galgal,*
quia ibi ex eos habui eos, propter malitiam ad inventionum eorum, de do-
mo mea ejiciam eos, non addam ut diligam eos.

C A P U T VIII. De solitudine S. Hieronymi.

*P*ostquam pij fideles venerati sunt DEUM & ejus Præcursorum
ad Jordanem, ad lævam partem versus meridiem per spatio-
sam planitiem Jerichontinam gressus dirigunt. Et quod in hoc
itinere visu dignum se offert, est vasta solitudo purpurati Dalmatæ
S. Hieronymi, cui oppidum carcer, solitudo paradisus erat. Ubi
quam aridam vivendi rationem instituerit, in Epistola ad Eusto-
chium virginem de Custod. Virg. ipsem recenset. Bonif. ocu-
latus testis & diligens inspector Palæstinæ affirmat, in ipsa Eccle-
siâ & monasterium miræ pulchritudinis fuisse, & in clauстро majo-
ri imago parieti depicta erat ejusdem gloriose Archimandritæ; ejus
ingressus in solitudinem, transitus ad superos in Bethlehem, & alia.
Hic locus raro visitatur à peregrinis, renuentibus ductoribus eò
se conferre. Quantum eminùs videtur, admodum demolita sunt
omnia. Ab Jericho distat duobus milliaribus, & à mari mortuo
forte uno. Lucrari hic possunt 7. an. Ind.

*Bonifac. I.
2. de peren.
sultu Ter-
rae S.*

C A P U T

CAPUT IX.

De Mari mortuo.

MARE, lacus iste dicitur usurpato vocabulo Hebræis, qui quilibet aquarum multitudinem & collectionem mare appellant; *mortuum* verò, quoniam ob pestilentem qualitatem nullum animal vivens atque motabile producitur vel conservatur in falsagine ejus, qualia cætera Maria in falsis licet aquis producent & conservant, & non solum propter falsedinem sed malevolentem pessimamque ejus conditionem. Semper enim est sumans & tenebrosum, sicut os inferni tetrum vaporem in auras mittens; ut pisces, quibus abundat Jordanis, illuc impetu aquarum delati, guttata pestilente aquâ vel renatent, vel ibi moriantur. Tanta verò calamitas ei regioni, quæ Paradisi æmula videbatur, in execrationem peccati Sodomorum justo DEI judicio immissa est, quod DEUS ulciscens tot sæculis nefanda scelera, poenas perpetuas quasi lucre velit regionem hanc quondam deliciissimam vindice ejus dexterâ subveroram, ut ignis æterni poenam sustinens alijs fieret in exemplum. Nec solum aqua sterili suo sinu nihil fovet, sed vallis illa, quam *silvestrem*, quæ nunc est *mare salis*, Scriptura vocat. Secùs desertum Pharan usque ad Jericho, à dextris & à sinistris cum montibus suis sterilis est & arida; quatenus exitialis ille vapor vento impellente pertingere potest. Inde & *mare solitudinis* seu deserti audit, nedum quia ob pernicioſas exhalationes navigari non potest, sed quia etiam circumiacentem regionem in desertum & solitudinem redagit. Latitudo ejus semialterum milia, longitudo quinque diætas adæquat, barbaros & gentem pessimam accolas habens, qui sub papilionibus more pecudum vita effrænata vivunt. Vocatur & *mare salis* ut supra Gen. 14. *salina* & *salinarum*, propter eminentem falsedinis saporem, nam colligione fluctuum sal efficitur per maris circuitum, calore solis sufficienter desiccatum, quod Jerosolymis & alijs circumimationibus magnum profectum præbet. Vocatur etiam Lacus *Aphaltites* sive bituminis, quod bitumen emitat, ad varios hominum usus opportum, illudque usque Constantinopolim maritimo perfertur.

R

itinere.

itinere. Itēm mare Orientale, quia est orientalis Terræ S. terminus. Tum etiam mare Sodomiticum, ubi regio Pentapolis erat, Sodoma, Gomorrah, Adaina, Seboim & Bala, quæ est segor quæ minima fuit inter urbes Pentapoleas, & fortasse minus flagitiosa, cui Angeli pepercérunt, ut in eam Lot se tutò recipere posset, quæ dicta est dehinc Segor id est parva. Imò Lapidés ipsi Terræ Sodomorum igni succensæ teturum & sulphureum emittunt foctorem, de quibus Strabo & Tertull. meminit. Et testimonium divinæ castigationi præbet veritas, quod ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars fuerint amarissimi calicis sodomorum, cujus fæx non est exinanita, & bibent cum illis omnes peccatores terræ, quorum civitates simili modo exfornicatae, ut verbis S. Judæ in Epistola sua Catholica loquar, & abeuntes post carnem alteram, de tam tragico exemplum non sumunt exemplum.

C A P U T X.

De Uxore Lot in statuam salis conversa.

Rejiciuntur & exploduntur meritò quorundam opiniones, qui scripturam figuratè loqui volunt de hac statua salis; cùm Moysis narratio historica sit & in proprio sensu accipienda, ut nullus rectè sentiens oppositum dicere possit. Cujus & meminit Salvator inducens diem qua filius hominis revelabitur in suo secundo adventu ut Iudex vivorum & mortuorum, & remittens se ad diem, qua exiit Lot à Sodomis, nè deceptoria securitas quemquam fallat, quemadmodum tunc bibentes & edentes, ementes & vendentes, plantantes & ædificantes; ubi extrema gaudij irremediabilis luctus occupavit, igne & sulphure cadente de cœlo; ut qui in agro fuerit similiter non redeat retrò, ut retrospexit Uxor Lot, dicens: *memores effete Uxor is Lot.* Quæ nimis ægrè proprias ædes dereliquit, & ob modicam fidem angelis præstitam auditio tremendo cœli fulminantis fragore, se retrò fatuè convertens, in statuam salis infatuata & conversa remansit. Locus ubi hæc penalis metamorphosis contigit, probabilius & conformius narratione Moysis videtur in via ad segor, id est inter segor & Sodomam, se mare mortuum ubi prius Sodoma erat, & ita cis Jordanem & ma-

mo-

mortuum. Nam textus dicit: ubi Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor, igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorram Gen. 19. sulphur & ignem, & mox subditur: respiciensque uxori, ejus post se, verfa est in statuam salis. Brocardus de hoc scribens ait: Post Jericho con- Brocardus tra Austrum est Segor oppidum in quo servatus est Lot, quando subvertit 1. p. c. 7. Dominus Sodomam. Sita est autem Segor sub monte Engaddi, inter quam & mare mortuum est statua satis in quam conversa est Uxor Lot. Quam ego statuam ut viderem, ingentes subiij labores itinerum, nec tamen excplere desiderium meum potui: siquidem incola retulerunt mihi, locum illum esse inaccessibilem, vel certè sine mortis periculo adire non posse propter feras immanes & serpentes, precipue autem propter Beduinos. ejus loci habitatores, homines perquam inhumanos pessimorumque mo- Josephus rum. Tempore suo extitisse testatur Josephus & Tertull. idem L. 7. an. affirmat & singulare quid notat canens ita: Quin etiam si quis mu- tig. c. 11. tilaverit advena formam, protinus ex se suggestu vulnera complet. An nostris temporibus extet, Quaresmius ait: sibi incomptum esse. Tertull. c. Fuisse tamen in partibus istis venerandos senes qui se illam vidisse 3. de So- testati sunt: ex eaque particulam una die ablataam, altera die vi- dom. disse restitutam, ut Tertullianus ajebat; & adhuc Biduini qui ex Quares l. mari mortuo salem Jerosolymam ad Fratres deferunt, affirmant. 6. Elucid. Supposito hoc indubie DEIIS in monumentum divina Iuæ justitiae, Terra &c. & inobedientiae ac incredulitatis Uxoris Lot, statuam hanc salis 14. pereg. perpetuam mansuram fixit, ut posteritati omnium saluberrimum. effet documentum, discere justitiam monitos & non temnere divos. Sap. 10. De hac salis statua dicitur etiam Sapientia 10. Et incredibilis animæ memoria fantas figuramentum salis. Cujus vel unum grantum in condimentum suarum deliciarum sumerent Cosmophili, qui DEI minis non flectuntur, ut fugiant mundum in malo igne positum, ne habitate contingat cum ardoribus sempiternis.

TRACTATUS XXI.

In quo Nazareth, & circumiacentia loca sacra
recensentur.

Nisi ergo devota peregrinorum societas, quæ hucusque post dilectum suum peregre abiit, & sacras, tam intrâ quam extra R. 2 Jerofo-

Jerosolymorum Urbem ac Bethlehem, venerata fuisset memorias,
milléque, inter defluentes lachrymas, strinxisset amplexibus, mon-
tésque Judææ transilens, ac vale datō, & gratijs persolutis, pro iti-
neris societate, ac charitativa hospitalitate remanentibus ibidem
Religiosis ac pijs fidelibus, ad Urbem sanctam revertitur. No-
vam eidem, inter continuatas spirituales delicias, perseverantiam
gaudiōrum adornat peregrinatio Nazarethana ; ut in odorem
quóque currant Floris illius, qui de radice Jesse ascendit, & super
quem requievit Spiritus Domini, omnémque in ipso plenitudinem
divinitatis complacuit habitare corporaliter. Peregrini ergo ad
majus devotionis suæ incrementum, & felicem itineris decursum,
religiosâ humilitate benedictionem sacerdotalem, à Reverendissi-
mo P. Guardiano Jerosolymitano exorant, quam ille solenni ritu,
rochetō & stolā amictus, ad aram Ecclesiæ majorem, singulis in ge-
nua provolutis impertitur, benéque precatus abire finit; quâ ob-
tentâ, & se in osculo pacis complectentes, mutuísque orationum
suffragijs commendantes, ac Urbe per portam Ramensem egressi,
jumenta condescendunt, eandem relegentes viam, quâ Urbem acce-
sere, Ramam videlicet versūs, præsidio Genitzerorum, ac Turci-
mannō, seu interprete assump̄ō, in onanibus præferentes religio-
sam modestiā, nec quidquā cibi aut potūs in sitarcijs suis ferentes,
niſi in eventum nimiæ laſitudinis modicūm fortè quid reeonditum
fuerit, quod tamen vigilanti cautelâ sumendum est; nē circum-
equitantium Turcarum aut Arabum oculispateat, ob plura inde
emergentia incommoda, quæ providè vitare experientia docuit.
Eadem die pervenitur Ramam, ubi A. R. P. hospitij Præsidens
omnigena hospitalitate advenientes refovet, & de novo conductu
in Joppen, seu Jaffam pro die sequenti, niſi temporis ratio aliud
svaferit, quod sāpē evenire solet, solicite providet. Ex Joppe, si
se mox navigandi occasio offerat, Acri versūs seu Ptolemaidam,
nullā interpositā morā, in altum vela dantur; ſin minūs, ex in-
dustria conducendum est navigium; maximē ſi numerus Religio-
forum vel peregrinorum, qui redire velint, fit auctior. Ptolomai-
dæ, cuius descriptionem ſupra dedi, advenientes, in Fratrum h-
ipitio civiliter recipiuntur, ubi ab A. R. P. Præſide, cum Dominō
Procuratore, de novis & recentibus jumentis fit proviſio pro vi-
tatione.

tatione Nazareth, quorum quodlibet ordinariè unus floreni per-solutō stipendiō conducitur.

C A P U T I.

De via Nazareth versus.

Via, Ptolomaïdā, Nazarethum versus à viatoribus legitur ad ipsum maris marginem, in qua occurrit amœna admodum sylvā, Vallis fundata dicta; eò quòd in sui medio in vallem profundetur: per quam intratur campus Balon, contiguus magno campo Esdrelon, ubi juxta viam fons erumpit à Ptolomaïda tribus, à Nazareth verò unō & medio milliari distans. Nè autem campum tantopere in sacris litteris celebrem silentio præterea, jure magnum dici affirmo; quia in longitudine ad duo milliaria & medium excurrit, in latitudine verò ad mare Galilææ & Jordanem usque extenditur. Hoc nomen sortitus est ab Urbe Esdrelon cuius mentio fit dicitur & campus Mageddo; quoniam ex parte altera civitas hujus nominis in ædificata fuit perricens ad Tribum Manasse. *Judith. 4.* *Josue 17.* *2. Paralip.* *35.* Hic Josias Rex Juda, à sagitarijs Necho Regis Ægypti, in prælio lethali vulnere fauciatus, postmodùm interiit. Hic Sifara Dux exercitus Jabin Regis Chanaan, qui regnavit in Asor, cum omni militia sua, Barac victore, prostratus fuit, & torrens Cidon traxit cadavera eorum, cuius & Platæs regius meminit. Qui per latissimam illam planitatem à mari Gahilææ in mare mediterraneum effunditur, ad quem apprehensos quadringentos & quinquaginta Prophetas Baal, duxit Elias, & gladio interfecit. De hoc campo locutus videtur Joannes Apoc. *Judic. 4.* *& 5.* *Psal. 82.* *3. Reg. 18.* *Apoc. 16.* *B. 10. c. 10.* *de Anti-christo.* 16. ubi insinuat locum in quo congregandi sunt numerosissimi exercitus Anti-christi Gog & Magog: *Et congregabit illos in locum* (Anti-christus vel Diabolus) *qui vocatur Armagedon.* Ità probabilior habet Doctorum sententia, ut Armagedon idem sit quod Mageddon, ita tenet & pluribus explicat Malvenda.

C A P U T II.

De Nazareth civitate Galilææ.

Superato semialtero circiter milliari à campo Esdrelon, declinando R. 3

nando ad sinistram, in tribu Zabulon, & edito colle posita est Nazareth, civitas párva Galilææ inferioris; sed adeò modica & angusta; ut non absre Divus Hieronymus eam viculum Galilææ appellat. In veteri enim Testamento nec in capite 15. Josue, ubi secundum funiculum distributionis Terræ promissionis terminus possessionis tribus Zabulon assignatur, ejus invenitur expressa mentio; sive propter loci obscuritatem, sive quod aliud prius nomen habere potuerit. Multi adeóque in litteris sacris optimè versati, & civitatis hujus sanctæ ac regionis, ob diutinam in ea protractam moram, pleniori cognitione instructi, arbitrantur: Nazareth illis temporibus, quo Terra sancta inter tribus Iraëliticas sub Josue distributa fuit, fuisse vel villam, vel vicum Capharnaou, vel Se-phori, præcipuis civitatibus subiectam; postremis tamen temporibus, dum Palæstina Romanorum cessit imperio, in illorum gratiam & honorem, à Tetrarchis vel Præsidibus, ut se contra tumultuantes & defectionem meditantes Hebræos munirent, ut alibi civitates & oppida ad coercendam provinciam fecerunt vel resecerunt; ita & hic ex vico vel villa, præsertim opportunitate inventâ, civitatum constituisse, noménque civitatis imposuisse, quomodo & apud Lucam Nazareth Civitas appellatur. Hanc singulari privilegiō ipse sublimavit DEUS, ut Unigenitus ejus Filius, Angelo nuntiante, Spiritu sancto, obumbrante in ea conci-

Luc. 1.

Matth. 2.

Isa. 11.

peretur, & nomen indè traheret, vocareturque *Nazareu*, id est flos seu floridus, *Neser* enim hebræo vocabulō florem significat, & in eo quod Christus à S. Luca in Nazareth dicatur conceptus, & secundum S. Matthæum Nazareus vocatus, respexit uterque Evangelista ad Isaiam prophetam prænotione spiritus Dicentem: *Ereditur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* Per Virgam enim Matrem Virginem, per florem DEUM Hominem accipimus, qui secundum ascensiones, quas in corde suo divinissimo disposuit, de terra immaculata uteri virginalis, ut flos campi & humile liliu convallium ascendit in præsepe, de præsepe in crucem, tanquam liliu inter spinas, sub spinoso diademate, quo coronavit eum. Noverca Synagoga ut egressientes filiae Sion & causam ipsius scriptam legentes super caput ejus, *JESUS Nazarenus*, Nazareum suorum usque ad mortem agnoscerent charitate, qua nemo

jo. 14.

jorem habuit, ut animam suam poneret pro inimicis suis. Plane
Nazareum, quod totus versetur in lilijs, & omnia que ipsius sunt lilia
sunt: conceptio, ortus, conversatio, eloquia, miracula, sacramenta, passio,
mors, resurrectio, ascensio, quid horum non candidum & non suavissime
redolens? quærit S. Bernardus. Hæc urbecula aliæ ignobilis & *S. Bernar-*
contempta, ut verus ille Israelita Nathanael, in quo ipso Salvatore *dusserm.*
testimonium dante, dolus non erat, Philippo dixerit: à Nazareth 70. in
potest aliquid boni esse? adeò Christi conceptione nobilitata fuit; *cant.*
ut paradiſo terrestri, Andreas Jerosol. Episcopus: eam compara-
re non dubitaverit dicens: Nazareth Eden hortum emulata, ipsum *Andreas*
Eden conditionem fini suo complectitur. Imò supergreditur; hic *Jeroferm*
enim plantatum fuit in utero Virginis verum illud lignum vitæ, *de An-*
unde mortui reviviscunt, ut quod ibi cecidit in Adam primo, hic *nunt.*
erigeretur in secundo, totiusque generis humani in Nazareth re-
floresceret felicitas, quæ inter spinas & tribulos aruerat. Et quo-
niam primus homo de terra terrenus, quem DEUS posuit in para-
diso ut operaretur & custodiret illum, pœnam intulit mundo: se-
cundus homo de celo cœlestis, in Nazareth in Virginis alvo sua
membra compositus, ut salutem inferret mundo, & operaretur salu-
tem in medio terræ, custodiretque voluntatem Patris sui, factus ei
obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Et licet hic *Hieron.de*
locus olim admodum contemptus fuerit, ut apud veteres, quasi *locis beb-*
opprobriō Nazarei dicentur Christiani, & convitij ergo impius *raici.*
Apostata Julianus Augustus, divinitus in prælio vulneratus, ma-
num sanguine implens, & in aërem projiciens ore blasphemо Chri-
stum ipsum Galilaeum & Nazarenum appellaverit, dicens *Theodores*
Vicisti Galilæe, aut ut Sozomenus & Niceph. testantur *Saturare Na-*
zarene: ita nunc toto terrarum orbe, honorabilis factus est, ut re-
licti patrijs laribus, spretis terrâ marique periculis, devoti viato-
res, velut operose apes convolent, & in Nazareth, tanquam in *in hisf.Ec-*
florido horto spiritualis voluptatis, ac ubere pietatis florilegio te-
nero affectu delicientur, memoriâ revolentes, quod *Hic Verbum*
Caro factum sit, & flos gloriæ nostra in paradiſo decidens, in flore
deridice Jesse refloruerit, feliciorque fuerit hominis reparatio *cles.*
quæ in creatio. Civitas hæc absque muro est, & penè tota colla-
pla, in ejus situ paucæ & pauperculæ domus reperiuntur. Indi-
genæ

Sozom.
Niceph.

genæ licet à circumjacentibus territorijs multum persequantur & vexentur, nec paupertate nec timore tamen videntur humiliari; quia & Fratres nostri gravia ab ipsis passi sint, & saepius loco cedere coacti, tradita quasi impietate posteris per manus Majorum suorum, qui & in Christum concivem suum ibi conceptum & nutritum semper injurijs extiterunt, volentes eum modò ut fatuum, & in suorem versum tenere, modò ejiciendo extra Civitatem, ut morte dignum, de supercilio montis precipitare, ut JESUS ipse dixerit:

Marc. 3. Quia non est Propheta sine honore nisi in patria sua, & in cognitione sua. Et subdit & non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit: & mirabatur propter incredulitatem eorum. Ecce ubi abundavit DEI gratia, quomodo & abundaverit Nazarenorum delictum & malitia, ut divinam Patris æterni Sapientiam in admirationem raperet, & ejus liberales manus ingratitudo ligaret, ne in illos gratias conferret. Tali quamquam habitatores Nazareth signentur calculo, ad sydera tamen exaltata & laudata remanebit hæc civitas Altissimi, ubi Unigenitus ejus Filius conceptus & educatus fuit: postquam enim Virgo DEI para illum ex Bethlehem in templo præsentavit, inde portavit in Nazareth: ubi mansit quoad ductu spiritus Sancti cum Joseph fugit in Aegyptum, & post redditum in terram Israël: non aliò se consultit, quam Nazareham, unde ob longam in Nazareth conversa-

Lac. 6. tionem, Nazareus, & à Nazareth Galilææ fuit appellatus. Hunc locum pariter estimatum reddit nutritius Salvatoris S. Joseph, qui Nazareti natus, educatus, & civis fuit, ut communis fert SS. Patrum sensus. Ex quo viro Justo, & filio accrescente, quem consituit Dominus, sua matris solarium sitæ cornis nutritium, solum dentique in terris, magni consilii coadjutorem fidelissimum: Tantum dignitatis certè accrescit Nazaretho, quantum per desperitos mores civium decrescere potuit. Et si ratio queratur: cur Salvator in medio nationis tam pravæ & perversæ, incarnari, nutriti & educari voluerit? profectò non sine divino consilio factum fuit; ut nempe homo lapsus jam ad vicinam salutem per occultam gratiam signaretur, quia Christus non venit vocare justos, sed peccatores, & ideo veniens in mundum, ad hos descendere voluit, qui pro iisdem Cœcum ascendere paratus sunt.

S. Bernar-
das super
misis
hom. 2.

CAP. IV

CAPUT III.

De domo Annuntiationis B. V. MARIAE & Incarnationis Dominicæ.

Civitatis hujus sanctæ, à DEO dilectæ & præelectæ, in qua mysterium à sæculis absconditum, per Internuntium suum Gabrielem, in salutem omnium revelare Domino placuit uni Virginis, sacratior & illustrior portio est Domus Annuntiationis & Incarnationis Dominicæ. Quæ inter alia Nazarethi monumenta, velut Sancta Sanctorum effulget augustius, honoratur dignius. Ubi æterna redemptione inventa Sacerdos ille in æternum secundum Ordinem Melchisedech, & Pontifex futurorum bonorum, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, semel introivit, ut offerat dona & sacrificia, non quidem hircorum aut vitulorum, sed semetipsum, per proprium sanguinem, DEO Patri in odorem savitatis, pro peccatis totius mundi. Prænotandum & sciendum verò est, antequam sacratissimi loci detur descriprio, populis orientalibus morem esse ad hæc usque tempora, domicilia sua cavarere in petris & montibus, quæ sìrios ardore arceant, ac sumptus ædificijs impendendos moderentur: superiori solùm parte camerâ quadam velut solariò instructa. Huic ædificiorum normæ conformis erat domus illa sacra DEI paræ. Locus enim ubi Verbum Caro factum est, specus est, in rupe ipsa excisa; vel ita à natura producta vel arte adjuta. Materiæ est candidæ & mollis, ac facile træstabilis dolabrâ latomi; ad quam gradibus aliquot descenditur ex Conventu nostro, cum fermè locus subterraneus sit, quemadmodum plura similia loca in Palæstina reperiuntur. Rationem aliam afferente Sanuto. *Quia propter frequentes Ecclesiarum, Sanutus puta & aliorum locorum, destructiones ruina super terram exaltat & l. 3, parte sunt. et que complanatis alijs ædificia sunt constructa; & ideo fideles ut priora loca possent ædificare fecerunt gradus, & quasi in cryptis eav-stant.* 14. c. 7. Sacram hanc ædicularum sancti Christi discipuli, post Magistri sui admirabilem in cœlos Ascensionem in Ecclesiam dedicarunt: postea vero crescente fidelium numerò & pietate, magnificâ basilicâ fuit. Antrum hoc horrore sacro plenum longitudinis decem,

& latitudinis novem palmos habet, ad caput continens altare dicatum Annuntiationi B. Virginis. In hoc angusto locello beatissima Virgo dilatans cor suum, in lege Domini meditabatur die ac nocte, & levans se super se, seraphicis desideriorum ardoribus tota agebatur in DEUM: & tanquam columba castissima in foraminibus petrae immaculatam se conservans ab hoc saeculo, ac in hoc secretiori contemplationis recessu, divinis intenta mysterijs, cum silentio praestolabatur salutare DEI. Tempus illud praestitutum Redemptionis generis humani videre desiderans, velut turtur solitaria affectuolis suspirijs gemebat in caverna maceriae: optans videre illum diem, quo omnibus corporis sui membris & sensibus posset illi ancillari Virgini, quae ex vaticinio Isaiæ, salva integritate paritura DEUM esset & Hominem. Ut piè contemplatur S. Bonavent. Et ecce DEUS qui humilia respicit & alta à longè cognoscit, & cujus oculi sunt ad mansuetos terræ & trementem sermones ejus; respexit humilitatem Ancillæ suæ, quæque ancilla optabat fieri DEI para, ipsa in Matrem DEI electa est. Inclinavit enim cœlos & deicendit in uterum Virginalem tanquam sponsus in Thalamum, in plenitudine temporis Rex saeculorum. Huic antro contiguum fuit cubiculum, quod ablatum est ministerio Angelorum in Picenum, & passim Domus Lauretana audit. In cuius vicem nunc Capella Angeli superadiscata est, partem aliquam fundamentorum habens, ipsam plantam Sacrae domus Laurentianæ, cuius longitudo ad palmos 24. & latitudo ad 10. excurrit, ornatürque Arâ triplici, S. Josephi, S. Annæ & Archangeli Gabrieли. E regione altaris vel fornícis facelli, quasi in angulo ad levam declinando, conspicuntur duæ columnæ porphyreticæ mixti, seu grisei coloris, ad nigrum tamen magis tendentis, quas perennaturæ memoriae gratiâ, posteritati statuit Christi fidelium pietas: ut una Angeli dictâ, signaretur locus proprius, in quo à DEO missus cœlestis nuntius, ad salutandam Virginem stetit; alterâ juxta hanc ex adverso duorum pene passuum intervallô disjunctâ, & magis interiori, B. MARIAE Virginis nuncupatâ, notaretur ea pars loci, ubi purissima Virgo, DEI Mater mox futura, orans & in DEUM tota absorpta, cœlestè sulcepit nuntium. Hæc columnæ, alterâ in angulo integrâ remanente, à quibusdam Mauris ayara impiæ

S. Bonav.
vita Chri-
stic. 3.

impietate ductis, & magnum, ex magna fidelium huic sacro loco
impensa veneratione, continere thesaurom arbitrantibus, ex parte
inferiori ad palmos s. supra basim detruncata fuit, reliqua desuper
mole superstite, quæ mirò hucusque modò, ex testudine absque
fundamento dependens, intuentes magnò afficit stupore: quo-
nam modo, quasi in aëre suspensa tanta moles suo libretur ponde-
re, nec omnino alterius sit opus, quam ejus dexteræ, quæ tribus
digitis ipsam molem appendit universæ terræ. Columna hæc ab
incolis regionis plurimum habet venerationis, qui ingressi Eccle-
siam, eidem devota insignunt oscula, cingulisque suis eam circum-
plectendo metiuntur, quibus tanquam panaceâ ad constringen-
dos laterum dolores, ut plurimum etiam parturientes utuntur:—
alij verò accedentes eidem continuò adhaerent, sperantes se conta-
ctu illo virtutem quandam medicam attrahuros, quæ morbos &
dolores leniat, atq; omnino tollat. Nec votis suis ipsa interdum
frustratur Mahometana impietas, quin & catelli ejus de micis, quæ
cadunt demensa gratiarum Magnæ hujus Dominae, ad sanitatem
edant, DEO magnificante merita Matris suæ, ut beatam dicant
omnes generationes. Et quasi scandalum sit apud illos querere:
an sanitatem sint consecuti, quasi nullum dubium sit, columnam
dictam, hoc modò contingentes sanari. Nec mirum, cum & per
contactum columnæ, quæ Roma in Vaticano ferreis cancellis se-
pta conservatur, quæque Hierosolymâ allata fuit, cui Christus,
in templo docens, sacratissimo suo corpore innixus fuisse perhi-
betur, energumeni à nefario spiritu liberentur, nec plus ultrà in eos
audeant: quare non item intuitu pretiosissimorum meritorum.
Beatissimæ Matris, locus illa gratiâ sanitatum sit insignitus, ubi ali-
quando steterunt pedes ejus, in cujus tunc utera Verbum Caro fa-
ctum est, & habitavit in nobis? Quo verò tempore ab Archangelo
salutata fuerit B. Virgo, opinio pia est S. Bonav. horam fuisse Com-
pletorij, qui & morem induxit in Ordine nostro, ut datò signo
campanæ inclinata jam die, populus Christianis ad recitandam sa-
lutationem angelicam, & recolendum mysterium Incarnationis.—
Dominicæ commoneretur, quod advesperascente sæculorum æta-
te, in uterum Virginis descendere voluerit Emmanuel, & manere
quodcum DEUS.

S. Bonav.

S. 2

Hoc



Hoc sacrum angelicæ salutationis domicilium, Palæstinâ Christianam religionem repudiante, regnandi libidine, effræni lasciviâ, sævâ crudelitate, sacra profanis miscente, & se se in omnem vitæ licentiam effundente, Angelorum ministeriô, quasi de medio Babylonis subductum, & ad gentem facientem fructum pietatis translatum, juxta Flumen Illyrij Oppidum collocatum fuit circa annum 1268. Deinde Illyrijs abreptum à reparata salute Anno nonagesimo quarto supra millesimum & ducentesimum, decimâ die Decembris, Bonifaciô Octavô Ecclesiam Catholicam moderante, denuò angelicis subiectum manibus, supra sinum maris Adriatici in Piceno, in agro Recanatensum consedit, medijs in nemoribus nobilissimæ cuiusdam matronæ ejusdem Civitatis, cui nomen erat *Lauræta*, à qua & nomen inditum est Ecclesiæ Laurentianæ. Verum cùm ex fidelium magna frequentia prædas agendi, & peregrinos vitâ spoliandi, occasionem sibi impia latronum manus sumeret, scelus hoc execrata Beata Virgo, sedem suam in collum, duobus fratribus jure hæreditario appertinentem, transtulit: quibus magnum quæstum facientibus, & acerbâ inter se dissidentibus, tandem hæc Alma Domus in via publica collocata fuit.

Senes Nazarethani, traditione Majorum suorum, instructi, Fratribus nostris, nunc in desolata Civitate habitantibus, causam translationis hujuscemodi, retulerunt sequentem: Episcopum ibi suisse, ut credibile est, Ichnismaticum, vel planè hæreticum, qui appropinquate numero Mahumetistarum exercitu, muneribus & pollicitationibus corruptus, callidi hostis implevit consilium, ut ope sua regio illa in manus hostiles devenerit. Cùm enim hostis magnam Palæstinæ partem sui juris fecisset, proditur ille donis excæcatus, nè Officij & vitæ jaæturam faceret, signo datô magnæ Campanæ, quâ campanile Ecclesiæ instructum erat, tum civitatis incolas, tum vicinorum locorum accolas, ad sacram ædem convocari fecit, & ad eos in hunc modum verba habuit: durum admodum est, tam numero militum exercitui terram istam vastanti & opprimenti resistere; videte enim, quomodo tam brevi temporis spatio potissimum regionem suo subjugaverit imperio, & quomodo nos numerô, pauci resistere poterimus? melius ergo fuerit animabus vestris & vitæ, uxorum filiorum, rerumque incolumitati san-

faniori consilio prospicere, vos tradendo potestati eorum, mahumeticāque suscipiendi religionem, quam igne & ferro extēnum subire supplicium. Unum ergo ex duobus elegite, vel crudelē mortem, vel hostiū imperium & legem. Et si salvi esse cupitis, quod me facere videritis, promptō animō & vos facite. Ille ergo mahumeticā vivendi licentiā illectus, gentilēmque immunditiam & superstitionem, quam animo sovebat, signō extēriori professus, episcopali abjectā tiarā, cydarim turcicam seu turbantum capiti imposuit, & ex pastore vel potius mercenario, lupus esectus, hostiū auxiliō, in oves sibi quondam concreditas, armato dente desēvijt. Nam cūm hēc vellera suarum rerum & vitam ipsam amittere, quam impīs Turcarum ritibus contaminari, p̄cēligerent, gloriolē fidei viētimæ, sub crudeli ense cecidēre. Nec hic metam furori suo sacrilegus apostata posuit, sed velut juratus jam Christianorum hostis cœlo bellum intulit, magnificāque Basilikam honori DEIparæ erētam, solō æquavit, & unā sanctam Civitatem Filij DEI & Matris ejus altricem, subvertit; demptā parte aquilonari, ubi suum erat palatium, & sacra Capellā, quam indubie funditus subvertisset, nis̄ potentiori DEI brachiō prohibitus fuisset, & domus suæ jacturam timuisset: quæ in præsentia restaurata, Fratrum nostrorum est h̄abitaculum. In Ecclesia vero nunc existente, quotidie à Fratribus nostris fit processio, quam visitantes lucrantur Indulg. plen.

C A P U T IV.

De domo S. Joseph, sponsi DEIparæ & Nutritij Salvatoris.

A Sacra æde Annuntiationis procedendo ad jactum lapidis Aquilonem versūs, occurrit locus, traditione Majorum usque nunc continuatā, ab incolis diētus: domus & Officina S. Joseph. Hic locus præter venerandam, sanctāmque memoriam tantū hospitis, & congeriem lapidum atque murorum, Ecclesiae quondam insignis in honorem Nutritij Salvatoris ædificatæ ac cancellis tribus ornatæ testem, nihil aliud exhibet, quam domum rusticam à Turcis inhabitatam; ubi peregrinis concessa est Indulgētia

gentia 7. annorum. Isthic loci sacratissimam hanc familiam habitasse, Josephumque artem fabrilem seu lignariam exercuisse, post redditum præsertim ex Ægypto, verior & incolarum traditio, & antiquorum Patrum & Scriptorum est sensus. Ipsumque DEI Filium in labore & pretioso vultu suo sudore patrem suum putatum adjuvisse, ut opere manuum suarum dominus paupertatem sublevarent. Nam conterranei ejus, quem per contemptum filium fabri appellant, apertius fabrum dicunt.

Nonnè hic est Faber filius MARIE? Unde liquet, Christum antequam occuparetur in doctrina & miraculis, usque ad trigesimum annum cum nutritio suo, arti fabrili seu lignaria intendisse usque ad mortem ejus (creditur enim communiter S. Joseph diem obiisse supremum aliquantulum ante inchoatam prædicationem Christi) & solùm postea in eadem arte successisse nonnulla, opera fabrilia confiando, ad vitam pauperem cum Matre sua sustentandam; quo usque incepta prædicatione, à pijs mulieribus sustentaretur:

Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ secutæ erant JESUM à Galilæa ministrantes ei. Super quibus verbis S. Hieron. dicit: consuetudinis judaicæ fuit, ut mulieres de substantia sua, vestum atque vestitum Praceptoribus vel Prædicatoribus ministrarent. Ministrabant autem Domino de substantia sua, ut meteret eorum carnalia, cuius ille metebant spiritualia.

Et forte non vacat mysteriò, quod Adam secundus inter alias artes fabrilem, seu lignariam elegerit, & in sudore vultu sui, in materia ligni, manibus suis operatus fuerit: quoniam Adam primus malus fortunæ suæ faber extitit per lignum; ut sudore suo, sudorem ad stivam & aratrum condemnati abstergeret hominis, & laborem compassi-
vò in se transferret adjutoriò: ac per hoc, quod in laboribus à juventute sua fuerit, per artem lignariam morti suæ præluderet, sese in ligno aliquando fore exaltandum, & opus artificiose charitatis per lignum Crucis esse consummandum; ut is qui per lignum—
vincerat, in ligno quoque vinceretur, per fabri illius Filium, qui fabricatus est auroram & solem. Ab Ecclesia S. Joseph ulterius—
progrediendo Aquilonem versus, reperitur Ecclesia 40. SS. Martyrum Sebastenorum, quorum celebris apud Orientales extat memoria, quæ eo in loco fundata perhibetur, ubi synagoga aliquando extitit Judæorum, quam ingressus Dominus, revolvensque librum

Isaæ

Isaiae Prophetæ, locum & ex eo dicendi materiam invenit, in quo
scriptum est: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, pau- I^{sai. c. 61.}
peribus evangelizare misit me, &c.*

C A P U T V.

De fonte B. Virginis, & mensa prima Christi Domini.

Hac relictâ Ecclesiâ ad eandem aquilonarem plagam parùm
ulterius dirigendo gressus, in via, extra villam, fons est opti-
mis fluens aquis, quibus ex canali in vas marmoreum emissis, via-
tores & indigenæ mirificè recreantur, & ob hoc plurimùm eas fre-
quentant. Hic fons communiter audit *Fons JESU & MARIAE*.
Ratio nominis est, quia creditur JESUM, ex illius aqua frequen-
tiùs hausisse, & pro ministerio suorum parentum, quibus per omnia
subditus erat, domum detulisse; ipsamque piissimam Matremfa-
milias, ex eo domesticæ indigentiae providisse. Sanutus ait: *Ibi Sanutus l.*
dicitur puer JESUS semel vase fictili fracto, aquam portasse in gremio Ma- 3. par. 7.
tri sue. Traditio hæc pietati & rationi consona est; quod nem-
pe Christus in tenera ætate, pro modulo suarum virium, in susti-
nendo labores & sudores corporeos, quos Joseph & MARIA con-
tinuè frequentabant, necessaria vitæ sibi quærentes, subjectionem
& reverentiam plenariam eis exhibuerit. Si enim Filius Hominis,
ut ipse ait, non venit ministrare, ordine profectò charitatis, primi-
tus parentum suorum obsequiosò insistebat ministeriò quam ex-
teriorum; nec quisquam inficias ibit, quin pro ratione ætatis
sue, tum minora, tum majora parentibus suis exhibuerit officia.
Magister perfectionis, qui à multis parvulis, contentiosò quodam
ministeriò, similia parentibus suis præstari usque modò cernit.
Non longè à nostris Maronitis in ascensu montis est rupes plana
& ad quandam orbicularitatem, et si non perfectam formata, & im-
polito opere à natura producta, cuius circuitus est palmorum
47. hæc à terrigenis vocatur *Mensa Christi*, quod credatur Christus
cum Discipulis suis, tum alias, tum etiam post resurrectionem
iùm, ad eam cibum sumpsisse. Unde in memoriam, visitantibus
spiritualis præbetur refectio, an. 7. Indulg.

CAPUT



C A P U T VI.

De loco timoris B. V. MARIÆ, & præcipitio Christi.

Procedendo ultra sacram ædem Annuntiationis, circa quartam milliaris partem supra unum montium conspicuntur ruinæ cuiusdam Ecclesiæ & Monasterij sacrarum Virginum, quæ ut antiquitùs, ita in præsentia nomen retinent, nuncupanturque à palæstinis *Sanctam Mariam del Timor*. Nominis & fabricæ ratio prohibetur fuisse; quod credatur ibi Virginem Beatissimam intellectisse, quomodo impij Nazarethani malum pro bono reddentes, Filium suum ex Synagoga & urbe ejectum, supra montis superciliū duxerint; ut indē præcipitem darent; qui nefarius suorum conciūm ausus, materna viscera magno timore & pavore concussit, ut indē compassiva Christianorum pietas occasionem sumpserit, Matri dolorum prædictam Ecclesiam ponere.

A Nazareth Oriente in inter & meridiem, itinere medijs milliaris progrediendo, primò per planitem, mox per præruptos & declives montes & colles, offert se locus in vertice montis, qui *Saltus* sive *præcipitium Domini*, antiquis & modernis temporibus dicitur. Arabice *Caphe* id est *præcipitium*. Saltus dicitur, quia locus velut nemus plenus horroris & vastæ solitudinis est, adeò præruptus & præceps, ut nec cuiusquam pedibus descensum præbeat: præcipitum verò Domini; quoniam Judæi Christum, peccata & incredulitatem eorum redarguentem, indē præcipitare & perdere volebant, ut S. Lucas scribit. *Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, hac audientes, & surrexerunt & ejecerunt illum extra Civitatem, & duxerunt illum usque ad superciliū montis, super quem civitas illorum erat aedificata, ut præcipitarent eum;* ipse autem transiens per medium illorum ibat: In qua verba Lyranus ex Beda ait: cùm Dominus de manibus eorum elapsus, de vertice montis descendaret, & sub rupe latere vellet, subito ad tactum dominicae vestis saxum illud subterfugit, & in varieræ solutum quandam sinum efficit; id est concavitatem, in quo dorso nicum corpus recipetur. In quo loco omnia lineamenta & rugæ vestis, & vestigia pedum in rupe apparent adhuc, sicut & testantur, qui viderunt. Eadem afferunt plures, qui de locis Palæstinæ scripserunt.

Luc. 4.

*Lyranus
Beda.*

J m

Jam vero an indiscreta peregrinorum devotione, an inimicorum Christi invida æmulatione hæ miraculosaæ impressiones in du-ra petra periverint non constat. Locus tamen ille concavus de quo Lyranus cum Beda loquitur, est in descensu supercilij montis: seu intra supercilium est rupes excavata ad modum vestibuli, po-stea in rupe ipsa fornix & capellula, excisa in acutum se elevans, ubi missa commode celebrari potest. Hic concessa est 7. anno-rum Indulgentia. Ad radicem hujus montis est campus magnus Esdrelon, & ultra ad meridiem mons Hermon, Civitas Naim, & alia plura cernuntur & cum Naim adiri non possit, hinc ex hoc loco conspecta, & eminè salutata, salutantibus Indul. plen. re-pendit.

TRACTATUS XXII.

PEr sequentia hujus Tractatus capita, præter alia memoriâ di-gna præcipue describitur mons nobilissimus & sacratissimus Thabor; quem non modò amœna ejus altitudo & speciosa situa-tio nobilitat, sed inter omnia, in eo patrata, facinora, admirabile Transfigurationis sacramentum alijs montibus superexaltat, ubi coram electis testibus Moyse & Elia, ac lectissimis Discipulis suis Petro, Jacobo & Joanne, communem illam cum cæteris corpori-bus formam, Dominus tantò clarificaverat splendore, ut facies ejus solis fulgori similis, & vestitus candori nivium esset æqualis. De quo ordiamur.

CAPUT I.

De sancto monte Thabor, seu Transfigura-tionis.

Mons Thabor à Divo Apostolo *Mons sanctus* appella-tus, quasi quoddam sublime Theatrum gloriæ montium, in campestribus Galilææ mirâ rotunditate elevatur, & omni ex parte æqualiter finitur, atque ab alijs proximis montibus sejun-dus, et si in radice eis aliquomodo copuletur, mirò regioni illi est or-namento. Et hoc videtur indicâsse Evangelista cum dicit: JESUM T assu-m-

2. Petr. I.

assumpsisse Petrum, Jacobum, & Joannem, & duxisse *in montem ex-
Mattb. 17 celsum seorsum*. Excellum quidem, quia cacumine suo adeò subli-
mis est, ut ascensus ejus itinere medijs milliaris nostri metiri possit.
Proverbiū *seorsum*, et si expositores referant ad segregationem
trium Discipulorum, à numero aliorum, infrā montem relictorum;
etiam referri potest ad separationē ipsius montis Thabor, ab alijs
montibus, cùm vix alij monti in Galilæa aptiūs hæc descriptio con-
veniat, qui *seorsum* sit, ut mons Thabor. Hic distat Nazarethō
milliaribus duobus. In summitate ejus planities se se extendit ad

*Josephus l. 4. bell. Ju-
daici c. 2.* medium milliare, quam se ipsō Josephus dicit; circumdedisse qua-
draginta dierum spatio, ut in eo monte, Judæi se contra Roma-
nos defenserent. Ubi postea Saraceni ante captam ultimō ab eis
Innoc. III. Aconem, munimentum firmissimum construxerunt, ut in Conci-
lio Lateranensi Innoc: III. in epistola ad Christi fideles directā, in-
dicat dicens. *Nuper in monte Thabor, ubi Discipulis suis futuræ glori-
ficationis speciem demonstravit, ijdem perfidi Saraceni quandam mun-
itionis Arcem, in confusionem Christiani nominis erexerunt, per quam ci-
vitatē Acon, sibi valde vicinam, defacili cogitant occupare.* Hoc tem-
pore omnia fere diruta, multas ædificiorum exhibent ruinas, antra
subterranea, & ferarum latibula. Mons hīc verè est cui benedi-
xit Dominus, omni enim amoenitate & foecunditate exuberans,
pinguibus pascuis animalium idoneus, frumenti, vini, fructuum,
omnisque generis sementis feracissimus, si vel modicā culturā,
ejus subigeretur gleba. Huic laus datur à S. Cyrillo, quod no-
bilissimus in Galilæa, densissimus & plenissimus ferarum & avium
sit. Aquæ ex cisternis in eo excavatis hauriuntur, sed & fontes
aquis vivis scaturientes continere testatur Bonifacius noster, &
harum partium incolæ. Ex hujus montis cacumine multarum
Palæstinæ partium jucundus est prospectus, & propter optimam
naturalem ejus conditionem omnino bonum esset hic esse, & habi-
tatoribus Palæstinæ in eo sua facere tabernacula; sed quoniam
singularis ferus depastus est eam, ac totus arboribus, arbustis & sen-
tibus silvescit, ut densi & inculti nemoris speciem referat, nec *fit*

Ezechiol 33 qui habiter in eo: Domino verè comminante per os Ezechielis,
Dabo terram in solitudinem & in desertum - - - & desolabuntur
montes Israël. Ex monte isto Barac descendit cùm decem milliūs
pugna-

pugnatorum, dum, contra Sisaram principem exercitus Jabin,⁹
Regis Chaam, prælium initurus esset, quod, & magnâ hostium
strage, & solenni victoriâ consummavit. In hunc montem idolo-^{Judic. 4.}
rum Sacerdotes ascendebant, ut veros DEI cultores ab eo cultu⁹
averterent, & sacrificia, uni DEO facta, in cultum suorum Deorum
transferrerent, quod graves sentiunt authores, Osea Propheta di-^{Osea 5.}
cente: *Audite hoc Sacerdotes, & attendite domus Israël & domus regis
auscultate: quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculatio-
ni, & rete expansum super Thabor, & victimas declinatis in profundum:
& ego eruditior omnium eorum.* Unde filius DEI, videns eō locō⁹
abusum dœmenem, ad illaqueandum animas, elegit hunc mon-
tem quō grandis visionis exhiberet spectaculum; contra eum la-
queum venantium, alterum gloriæ suæ tendens, ut populus in ad-
mirabili illa transfiguratione, in obsequium captivaretur, altissi-
mō fidei sacramento, svavi velut objectā escā; dum coram electis
testibus, quorum sonus in omnem terram exire debuit, apertius⁹
Trinitatis revelat mysterium, Patre apparente in voce, Filio in
carne, & Spiritu sancto in nube. Ut in lumine ostensæ
gloriæ viderent omnes lumen fidei, DEO Uni & Trino, & non re-
ctoribus mundi tenebrarum harum esse serviendum & sacrifican-
dum.⁹

Hic mons creditur ille esse, in quo Salvator ab inferis redi-
vus, se discipulis suis videndum præbuit, de qua apparitione loqui-
tur Matthæus: *Undecim autem Discipuli abierunt in Galilæam in mon-
tem, ubi constituerat illis JESUS.* Et S. Paulus: *Deinde visus est plus
quam quingentis Fratribus simul.* Unde licet S. Matthæus unde-
cim tantum discipulorum faciat mentionem, qui ad præmonstra-
tum apparitionis locum abiverunt, non tamen cæteros exclusit,
quos S. Paulus commemorat: Apostoli enim recensentur tanquam
præcipui testes & prædicatores resurrectionis Christi; quia id⁹
illis primariò constituerat Dominus, & hos alij ab Apostolis fecuti
fuerant discipuli, & qui fidem Christi, tam in Judæa quam Galilæa suscepereunt fideles; ut tantâ multitudine testimoniū per omnes
regiones veritas Resurrectionis Dominicæ evidentius diffamere-
tur. Et hanc apparitionem contigisse in monte Thabor, præter
Magistrum historiarum, Lyram, Dionys: Carthus: D. Bonaventu-
ram,

ram, Baronius ad annum Christi 34. asserit Apostolum de ea locum fuisse, & hoc omnes existimare & invicem consentire: quod eam gloriam, quam ante passionem tribus testibus conspicuam esse voluit transunter, immarescibilem & permanentem, pluribus ostendere voluerit in glorio suo corpore, ut ejus sibi gloriæ consortium membra promitterent, quæ in capite præfusisset. Unde videtur Evangelista locum hujus visionis montem Galilææ, montem Thabor antonomastice indigitasse, tanquam cæteris Calilææ montibus excelsiore, & communis famâ clariorem, ac magis idoneum, tantæque multitudinis capacem: ubi quadam recapitulatione, mysterium à sæculis absconditum Altissimæ Trinitatis denuo Incarnata sapientia suis declarat discipulis, jubens eos ire & doceare omnes gentes, baptisareque: in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Hinc locus iste semper pretiosus & venerabilis fuit Fidelibus, insignioribusque ab ijs illustratus monumentis, ac magnâ celebratus frequentia. Sancta Helena Constantini Magni p̄ijssima Mater, insignem fundavit Ecclesiam honori trium Apostolorum, ante quorum oculos transfiguratus est Christus, sūtque Cathedralis, ut ex Tyrio colligi potest, cui Ecclesiæ deinde duo accessere monasteria, ut essent quodammodo tria ex Petri voto tabernacula, quorum alterum Græcorum Divo Eliæ dicatum refertur; alterum Divo Moysi, verisimiliter consecratum fuisse creditur, utrumque etiam suum habuit Abbatem. Bonif. inquit, monasterium magnum ædificatum fuisse à Regibus Hungariæ, credibiliter à S. Stephano, qui Jerosolymis & in Palæstina plura Apostolicæ pietatis reliquit monumenta. Et Beda testatur in memoriam Transfigurationis tres in montis hujus vertice fuisse constructas Ecclesiæ, secundum quod Petrus petierat: *Faciamus hic tria tabernacula.* Ecclesiæ & coenobia diruta & in pulverem redacta cernuntur, & sub ruineribus primæ, quasi quædam spectatur capella, ubi indignus 1707. sacris operatus sum horâ tertią mediæ noctis, vigilias agens penes quandam dirutam portam magnifici quondam ædificij. Huc in festo Transfigurationis Domini, ex Nazareth p̄ij fideles nostris associati fratribus, se conferunt justò Turcarum muniti præsidio,

pro

Niceph. l.8
hij. c. 30.

Bonifacius

Beda de lo-
cis e. 9. 17

pro solenni decantanda missa, ac alijs privatis celebrandis, alijs
verò temporibus pro comoditate ac via securitate, locus visita-
tur, cùm frequentiùs viatoribus latrocinantes infesti sint. Indul-
gentia hic concessa est plenaria, eaque perpetua. Ad pedem mon-
tis Thabor ex latere, quò communiter ascenditur, quódque Na-
zarethum respicit ad Occidentem, est facellum ferè dirutum, suó-
que pristino decore spoliatum, in memoriam illorum verborum
Christi positum, quibus de monte descendantibus Discipulis præ-
cepit: *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis re-
surgat.* Non longè ab hoc monte conspicitur pagellus *Deborie di-
stus, in memoriam glorioſorum facinorum Debboræ Prophetissæ Judic. 14.*
quondam fundatus, quæ judicabat populum in illo tempore, &c.

CAPUT II.

De Civitate Endor.

IN facie montis Thabor, milliaris unius distantia, in campo ma-
gno Esdrelon, prospicitur Endor ad radices montis Hermon,
de quo legitur *Hermonim à monte modico*, qui in se non quidem *psal. 41.*
tantæ modicitatis est, ut psaltes dicere videtur; sed satis iusta ma-
gnitudinis; in comparatione tamen altissimi montis Thabor, qua-
si pumilio giganti adstare videtur. Aut vocat montem modicum,
respectu alterius Hermon, qui & Sanir dicitur, qui extremos ter-
minos regionis trans-jordanæ occupat ad Aquilonem. Fuit por-
rò Endor Urbs quondam, famæ non contempnendæ, quæ exiguae
villæ spatio nunc compendiatur. Ejus mentio fit in *Josue fuitque
hereditas Manasse in Isachar & in Aser - - - habitatores quóque Endor Josue 17.
eum vici suis.* In prospectu Urbis hujus cruentum prælium com-
missum fuit cum exercitu Jabin Regis Chanaan, quem ad interne-
cionem delevit populus Israël, viatoribus Debbara & Barac, ac vi-
etô Duce Sisarâ; qui ad tentorium Jahel uxoris Heber Cinæi fu-
gâ delatus, & tutam vitæ suæ latebram quærens, ubi propinato *ex
utre laete, sitim, quâ aestuabat, levâset, opertusque stragulò à Ja-
hel, fessum corpus ad quietem composuisset: sic somnō sepultus,
adætô per tempora clavô tabernaculi, soporem morti confocia-
vit, ut refert liber scriptura verè expertus quod veteres dicebant: *Judic. 4.
somnum**

1. Reg. 28. somnum fratrem esse mortis. In Endor mulier illa erat Pythonica, quam mutato habitu accessit Saul, petens sibi suscitari mortuum Samuel Prophetam.

C A P U T III. De Civitate Naim.

Intra alia loca, quæ ex Thabor sublimi velut speculâ eminens conspicienda oculis objiciuntur, memorabilis est Civitas Naim; in plaga illius meridionali ad distantiam unius milliaris posita est autem altera ab ea, quæ in Idumæa muro cincta, Castelli referrebat formam, cuius meminit Joseph. Cùm hæc Galilæa sit, nunc bel. Judaicæ suis sepulta ruijæ pauperulae exhibens speciem. De qualiter in veteri testamento nulla habeatur memoria, in novo tamen clarior est ejus fama, ob grande illud miraculum, quod ante ejus portam in resuscitatione unici filij Matris viduæ operatus est Dominus. De hac Adrich, *Naim græcè Nain*, decora & pulchra civitas, quam torrens Cison alluit, sita est in latere aquilonari montis Hermon minoris, in secundo millario montis Thabor contra meridiem non longe ab Endor: ante cujus portam Christus filium vidua unicum à mortuis suscitavit. Permanet Civitas usque ad tempora Hieronymi. Ecclesia quæ fabricata fuerat in ipso loco, ubi ad vocem Domini adolefscens mortuus revixit, soldo æquata est. Locus gaudet Indulg. plen.

C A P U T IV. De Saffa viculo.

ANazareth ascendendo per montes Meridiem inter & Occidentem, tribus quadrantibus milliaris, occurrit viculus *Saffa* dictus, arabicè *Deir* id est monasterium. Olim teste Adrichomio: erat Civitas in monte sita. Celebris & venerabilis est hic locus, et quod credatn suis patre Zebedæi, Patris SS. Apostolorum Jacobi & Joannis; in quorum nativitatis loco, teste Adrichomio, speciosa conspiciebatur Ecclesia, cuius cum modò nulla apparent vestigia, credibile est funditus suis subversam. Ejus extremitatem ascendendo, reperiuntur quadam antra subterranea, quorum

Ora

*Adricho.
in Zabu-
lon. n. 83.*



ora ingentibus obstruncta sunt saxis, in quibus magnos latere Thefauros, maurorum est opinio, neminemque audere tentare ingressum. Major autem est danda fides Christianis, qui afferunt ibi contumulatos esse multos sanctos Monachos, quorum forte sanctitas, horrore sacrò impias arcit barbarorum manus; DEO custodiente ossa eorum, ut corpora Sanctorum, quæ in pace sepulta sunt, inter medios Christiani nominis hostes, in idipsum dormiant & requiescant; nec sanctum detur canibus, & pretiosæ cœli margaritæ non mittantur ante porcos. Huic Christianorum piæ probabilitati suffragatur ipsum arabicum vocabulum Deir monasterium significans, & suā nomenclaturā signans locum, monasticon quondam ibi professorum virorum. 7. an. Indul.

C A P U T V.

De Sephori, seu Diocæsarea Civitate.

Inter Occidentem & Aquilonem Nazarethō, ad milliaris unius spatiū conspicitur Sephoris seu Diocæsarea Civitas, olim nobilioribus terræ Urribus accensenda, nunc diruta & desolata jacet, multis murorum oculis objiciens ruinas, decoris & nobilitatis suæ primævæ posthumos testes. Digna alioquin visitatione & veneratione, cùm credatur in ea progenitos fuisse Joachimum & Annam, sanctissimos DEI Genitricis parentes. In loco ubi domus Joachimi erat, illustris quondam conspiciebatur Ecclesia, ex lapidibus quadratis & sectis, dupli ordine columnarum, quibus triplicis navis testudo fulciebatur, in capite tribus adornata capellis, quas Mauri in apta sibi accommodarunt domicilia. Septem annorum visitantibus concessæ sunt Indulgentiæ. A Sephori quartâ milliaris nostri parte, ad lævam viæ in quadam planicie fons egreditur, salubres & copiosas eructans aquas, cui supra montem villa incubat, dicta arabice: Rosain id est caput fontis & fons Sephoris, quô nedum habitatores villæ, sed & Sephorientes admodum recreantur. De quo Adrich. restatur: *Fons Sephorianus fons celeberrimus est, propè civitatem Sephorim versus Nazareth situs; ubi propter barbarum ac aquarum copiam, Jerosolymitani Reges, exercitum cogere solebant.*

Adricho.
in Labal.
n. 45.

TRA-

TRACTATUS XXIII.

Ad mare Galilææ ituris duplex offertur via, una per montem Thabor, per vallem Zabulon altera; hanc utpote communiorum & viatoribus tutiū perviam prolequemur. Visitatis locis sacris à monte Thabor, quæ in ipsa sancta civitate Nazareth & ambitu ejus velut horto consti flores, memoriam abundantiaæ svavitatis cœlestis spirant, ac deliciosa haec tenus pietatis pastu, sacratiorique mellificiō argumentos velut apiculas peregrinorum animos, piā contemplatione occupabant: quantum impetuosa & vagæ Fucorum & Scarabæorum, Arabum, dico, turmæ non obſtunt, restat ut longius jam avolent, ad mare nempe Galilææ, nova devotionis inventurae paſcua, & ſvavem alium, conſolationis amplioris, collectuare rorem. Peregrinatio hæc, per villam *Arena* dictam, à Nazareth medio milliaris ſpatiō elongatam, instituitur, vallem intrando Zabulon, per quam opportunior præstatur accessus; ut ampliori delati itinere per Terram melle & laete fluentem, pijs fideles gument & videant, quām ſvavis ubique fit Dominus. Unde fit

C A P U T I.

De Cana civitate Galilææ.

Duplicem Canaan litteræ ſacræ & scriptores Ecclesiastici produnt, quarum una major, altera minor Cana appellatur. Prioris, quæ eft in superiori Galilæa Sidonem versus, mentio fit *Josue 19.* quæ in funiculo distributionis terræ promiffionis cecidit in fortem Tribui Afer; hæc verò in Galilæa inferiori, in possessionem Tribùs Zabulon reputata eft. Ambæ ab invicem diſterminatae & lineâ rectâ oppofitæ ſunt, ut *Quares.* ex alijs placet 50. circiter milliarium italicorum ſpatiō, ſeu 10 germanicorum. Hæc posterior in Evangelio dicitur Cana Galilææ, & teste D. Hieron. Cana minor, ad differentiam alterius Canæ majoris. De locis hebraicis. L. C. Hic initium ſignorum fecit JESUS, & manifestavit gloriā ſuam, dum vocatus ad nuptias, ubi aquæ elementum in vinum convertit optimum, pijsima Matre ejus pro convivis inter-

terpellante verbis illis : *vinum non habent.* Situs ejus est in plaga occidentali Nazareth, ad Aquilonem parùm vergendo, in spatiofa Bonifac. planicie & compestri latitudine protensus. Hanc Canam licet de peren. Bonif. juxta Nazareth ad tria millaria constituat , cùm tamen in cultu Ter- forte Tribus Aser ponat, propius accedendo longius recedit à Na- ræ 3. zaretho. Provenit fortasse; quia non advertit ad duplice Ca- nam, quarum major, Sidonem inter & Tyrum, à scriptura, ut dictum est, ponitur in forte Tribus Aser; haec verò in Zabulon esse digno- scitur; aut fortè ideo hoc dicit, quia Tribus Aser Tribui Zabu- lon proxima suit. In Tribu Zabulon fuisse ait Adrich. Alteram Adricho. ab altera distingueens in Tribu Aser, n. 31. Accedit S. Hieron. dicens: n. 23. *baud procul, id est à Nazareth, cernetur Cana, in qua aquæ in vinum 1. Hiero. veræ sunt:* Cum procul sit altera Cana juxta Sidonem. Et pro- babile est; quoniam hæc Cana, de qua est sermo, propinquior Epist. 17. Nazaretho fuit, unde commodiùs Beatissima Virgo & vocari & ve- Tom. 1. nire potuit ad nuptias; venit enim invitata ex Nazareth, ut sentit Barradius & Maldon. dicens: *Constat ex descriptione Galilææ, Canam ad Barrad. T. fuisse vicinam Nazareth, ubi Mater Domini habitabat.* Aranda dili- 2. l. 3. Mald. gens Terræ S explorator tradit hanc, decem milliaribus italicis di- in c. 2. Jo- stare à Nazareth. P. Electus Zwinner Provinviæ nostræ Boëmiaæ an. Alumnus, & oculatus rei testis, ait: se jumentò, hoc iter confe- cisse, spatiò duarum horarum, & observâsse diversas murorum rui- tract. 2. c. 4. loco nupcialis quondam convivij ut credere fas est, insignem Ec- Zwiner. clesiam, quæ prius in delubrum Turcarum conversa, tunc verò de- relicta, peregrinis liberum præstabat accessum. Ad ingressum su- pra portam advertit tres lapideas, opere antiquarij cuiusdam, in- sculptas fuisse hydriæ, ut nemini dubio esset, ex signo rem demon- strari, ibi omnino præsentia Christi sacramentum nupciarum fuisse confirmatum, novimque visum genus potentiaæ, ut hydriæ vinum iussæ fundere, suam unda mutaverit originem. Hujus Ecclesiæ, Niceph. l. meminit Niceph. afferens: S. Helenam piam & sedulam, memo- moria mirabilium Domini quæ in carne gessit, restauratricem, in 3. c. 30. Cana quoque Galilææ præclararam posuisse Ecclesiam. Hic can- tatur à visitantibus Religiosis Evangelium agens de nuptijs in Ca- na Galilææ, ubi advenientibus pijs peregrinis, tanquam convivis, spiri-

spirituale exhibetur poculum, quod servatur usque adhuc in animæ solatium, Indulgentia nempe plenaria perpetua. S. Simon & Apostolus, dictus Cananæus & Zelotes (Cana enim Zelum significat) hōc locō erat oriundus: Et Nathanaël pariter, verus ille Israëlite, in quo attestante Salvatore: dolus non erat, ex hac Cana suam traxit originem; et si hunc Canæ majoris aliqui fuisse dicant: si enim haec minor, Cana Galilææ, ad differentiam Majoris nuncupatur, Nathanaëlque à Cana Galilææ fuisse dicitur consequens est, fuisse hujus, & non alterius civem. Fuerintne autem idem *Joan. 21.* *Rupertus* qui Bartholomæus Apostolus, ut Rupertus existimat, & Salmeron probat, aut secundum aliorum Doctorum sensum diversus ab *Joan. Sal-* *meron.* *Tom. 11.* *Tract. 28.* *Joan. 4.* eo, sub Judice lis est, utrāque parte suæ innixæ opinioni. In Canam Galilææ venit Christus post Samaritanæ conversionem, ibique filio Reguli animam agenti, ad preces patris sui, sanitatem restituit, patremque ab incredulitate liberavit. Extra Canam occurrunt fons, ex cuius aqua hydria nuptiales, impletæ fuisse dicuntur, dum in miraculosa illa conversione, insipidæ aquæ in vinum optimum, novi poculi prælibatum est sacramentum; venturas nempe nuptias Agni, in quibus & ipsum vinum, diviniori modō in sanguinem Christi substancialiter converteretur.

C A P U T II.

De Civitate Bethuliae.

BEATHULIA, famosum illud, & in sacris Litteris victoriosè præconiatum, populi Israëlitici propugnaculum, ubi Dominus Exercituum confregit potentias arcuum, scutum, gladium & bellum; superbiam Afflorum humilians, gloriam Jerusalem magnificans, & lætitiam populi renovans; faciensque per infirmam manum unius mulieris hebrææ confusionem in domo Nachodonosor, Holoferne principe militiae, propriò pugione caput amittente, & in suo, qui alienum fistiverat, sanguine tabescente: præter grandes murorum tumulos, & gloriosum Judith, Amazonis illius bethulensis facinus, memorabile nunc aliud exhibet nihil. Hoc firmum totius Palæstinæ Antemurale, situm erat in monte, inter Dothain & mare Galilææ, cui subiecta erat vallis, in ampli-

amplissima camporum excurrens latifundia, in quibus castra sua
metatus est Holofernes, qui & fontem illum qui in urbem influe-
bat, & aquæ ductum à parte australi suis irrigabat aquis, incidi-^{Judith. 7.}
præcepit.

CAPUT III.

De secunda Mensa Christi Domini.

A Desolata hac quondam gloriosa Urbe Bethuliâ insistendo,
itineri per medij milliaris spatium, transfundóque vallem,
ascenditur planities, ubi, ut vetus fert traditio, JESU transeunte
sabbatō per sata, discipuli ejus famelici, cœperunt vellere spicas,
& manibus confricantes manducare, quod stomachum adeò mo-^{Matth. 12}
vit Phariseis; ut necessitatem, non habentem legem, legis obli-
gatione constringere niterentur. Sed pulchrâ inductione eos,
redarguit Salvator; Davideni opponens esurientem, quomodo
in Nobe intravit ad Achimelech sacerdotem, & panes propositio-
nis, ut famem sedaret, obtinuit & comedit, quibus vesci illicitum
aliás erat laicis, præcepto, tunc necessitatī cedente. Ex hoc cam-
po conspicitur villa dicta *Meschina*. Hinc quasi duobus milliari-
bus nostris, per latam planitatem decursis, occurrit locus, Mensa
Christi nuncupatus, in quo Christus miraculum multiplicationis
Septem panum, & paucorum piscium operatus fuit, cibando tur-
bam famelicam quatuor milium hominum, demptis, parvulis &
mulieribus, repletis adhuc de fragmentis, quæ convivæ non ab-
sumperant, septem sportis. Hoc prodigiosum convivium,^{Matth. 15}
quod benedictæ manus ejus superabundanter instruxerant, exhibi-
tum fuit citrā mare Galilææ, cùm Salvator noster ex finibus Ty-
ri & Sidonis venisset ad mare Galilææ, nec alioquin de transitu lo-
quantur Evangelistæ ante miraculum septem panum. Spiritualia
fragmenta quæ supersunt devotis peregrinis, sunt Indulg. 7. an.

CAPUT IV.

De Monte Beatitudinum.

A D ultimos terminos Zabulon, à lœva viæ, in plaga aquilo-
nari,
V 2

nari, ascenditur mons Christi, seu Beatitudinum dictus, in quo cœlestis sapientia Magister ad beatitudinem eternam consequendam, velut novam scalam Jacob, sublimioris perfectionis, credentibus suis erexit, octo beatitudinibus velut gradibus dispositam. Incipiens enim à paupertate spiritus, & progrediens per animi mansuetudinem, luctum pœnitentiæ, zelum justitiae, in proximum misericordiam, cordis munditiam, pacis dilectionem, ac persecutionum propter justitiam tolerantiam, ad terminum omnis beatitudinis, ipsum regnum cœlorum repromittens, descendere docuit. Hic Christum integras noctes in oratione DEI persistere conservisse, hic duodecim elegisse, quos & Apostolos vocavit, hic de perfectionibus evangelicis differuisse, hic multa signa fecisse, textus Evangelicus loquitur. Hic mons licet admodum excelsus, non sit in comparatione ad inferiorem circumstantem planitem, super qua altius fastigiatur, quæ ipsa etiam mons appellari potest respectu inferioris regionis, per quam venitur; attamen cum suo bicipiti cacumine oleastris coronatō, & cum illa planicie se sensim erigentis consideratus, numerō altiorum montium accenseri jure potest ex quo in remotiora loca optimus sane patet prospectus. Et ex tali loci consideratione conciliari possunt Matthæus & Lucas, qui inter se dissidere videntur; ille dum ait: Christum ascendisse in montem & docuisse turbas, iste dum affirmat: descendisse & in loco campestri stetisse & similiter populo prædicasse; loquitur uterque de planicie ipsi cacumini montis subjectâ, quam ad docendum Christus elegit multitudinis tantæ capacem; ut omnino ea via, quâ venitur, ascendendum sit, in cacumine montis constitutō ad eam descendendum, quomodo Lucas præmisit Christum exiisse in montem orare & pernoctasse in oratione DEI: ut cacumen montis adorandum, planitem ad docendum elegerit. Mons iste, quasi uno milliari à Capharnaum distans, in summitate diversis murorum ruinis fidem facit, fuisse aliquam Ecclesiam vel oratorium in memoriam, quod ibi omnis perfectionis cœlestis Magister cathedral quondam constituerit, docendo discipulos suos & plebem. Hic mons beatitudinum beat visitantes indulg.

7. ann.

CAPUT



CAPUT V.

De Mari Galilææ,

ET si admodum rari sint inter mortales, qui persecutionem pati velint propter justitiam, quos tamen vivæ vocis oraculō, ipsa Incarnata veritas beatos dixit, & quibus ipsum regnum cœlorum constituit in præmium; nobile tamen in paucis, mons beatitudinum non longè à se distans exhibit monumentum, adolescentis illius & dilecti Filii Patriarchæ Jacob, qui pietatis & fraternæ invidiæ spectaculum factus, didicit & justè vivere, & pro justitia fortiter agonizare. Locus enim in vasta & montosa solitudine monstratur, qui ab incolis harum partium *Can Joseph* seu diversorium ^{Quares:} Joseph appellatur, eò quod ibi viatorum, seu iter agentium sit diversorium, & Turcarum Meſquita, atque cisterna olim capitellō & columnellis optimè exornata. Teste *Quares:* non modò à fidelibus sed etiam infidelibus, ipsisque Mauris & Hebræis veneratio habetur; quia credunt antiquâ traditione instructi esse veterem illam cisternam olim aquâ carentem, in quam Castus & Iustus Joseph, eò quod fratres suos apud patrem accusâsseret de criminis pessimo, ab invidis suis fratribus missus fuit, ac inde extractus, transiuntibus negotiatoribus Madianitis viginti argenteis venditus, ac in Ægyptum ductus, per vincula & carceres, & tot duros ^{Elucid.} toleratos agones, ad summum gloriae apicem eluctatus est, justâ causâ semper triumphante, ut unius Regij solij sibi reservatâ ^{Terr. a S.} præminentia, regni totius moderandas habenas à Pharaone accepit, qui & lingua ægyptiacâ nomen Josephi vertens eum appellavit Salvatorem mundi. Typum referens veri Salvatoris ^{Tom. 2. c. 10.} ^{Gen. 41.} tocius mundi, qui salvum fecit populum suum à peccatis eorum, quem ingratus discipulus & mercator pessimus, Judas vendidit, invidia Judæorum in crucem egit, Pater æternus in dextera gloria sua ^{Malleus.} collocavit. Verum à P. Malleo alia assignetur cisterna juxta Sichar & Sichem in Samaria, eò remitto curiosum lectorem, qui culteriori suo judicio, quæ verior sit, ponderare poterit. Ego verò me ad descriptionem maris Galilææ converto.

In Galilææ Palestinæ provincia est magna quædam aquarum collectio, quæ mare Galilææ & Tiberiadis à Divo Joan. à D. Luca ^{Joan. 6.} stag-

Luc. 5. stagnum Genesareth, & Josue mare Cenereth, à Flavio Josepho
Josue 13. lacus Genesar vocatur, quemadmodum ipse DEUS dividens aquas
sub firmamento ab aquis super firmamentum, Congregationēsque
Gen. 1. aquarum appellavit maria. Hoc mare Galilææ, medio sui inter-
fescat fluvius Jordanis, qui dehinc in mare mortuo, suis contumula-
tatur aquis. Aqua hujus maris, et si in superficie non crystallinæ,
sed quodam nigredinis colore tinctæ appareant, non tamen cœ-
nosæ, paludosæ, putridæ aut amaræ sunt, sed dulces, potabiles &
fœcundæ, multos variōsque pisces producentes in species suas,
gustui admodum svaves. Ripas ejus in coronam cingunt variae
civitates & castella. In parte orientali habet Corozaim, Julianum,
Dalmatutham, Gerasa, &c. in occidentali verò Tiberiadem, Mag-
dalum, Berhsaidam & Capharnaum: unde & ab his civitatibus
etiam varia sortitur nomina ut à Galilæa provincia, mare Galilææ,
mare Tiberiadis à Civitate Tiberiadis, mare Cenereth ab op-
pido Cenereth, cui postea successit Urbs Tiberias, stagnum vel la-
cus Genesar à propinqua regione Genesar nominetur. Hoc ma-
re et si propter optimæ regionis conditionem celebre sit, magis tam-
en celebre reddunt ea, quæ in ipso, & circa ipsum, à Christo &
Apostolis ejus operata fuere. Secùs enim mare hoc ambulans
JESUS, initium dedit suo apostolico collegio, Petrum & Andream,
Jacobum & Joannem ad sequelam sui vocans, & novos pescatores
Matth. 4. constituens in capturam hominum. Hic JESUS ascendens in
unam navium, quæ erat Petri, eaque pusillum de terra reducta, de
navicula docebat turbas. In hoc mari jubente Domino, Petrus
tota nocte in vacuum laborans, laxans rete conclusit piscium mul-
titudinem copiosam, ut rete rumperetur implerenturque ambæ
naviculæ ut penè mergerentur. Juxta hoc mare propè Caphar-
Luc. 5. naum JESUM vocâsse Levi Alphæi, seu Mathæum sedentem in
Marc. 2. tellonio, ad munus apostolicæ dignitatis, satis liquet solent enim
circa mare telonio constitui, ubi à præternavigantibus vœtigalia
exiguntur, & dura de laboribus periculisque nautarum emolumen-
ta queruntur, quô egressus Salvator, & littus transiens, se sequi
Matthæo præcepit, qui vile illud telonei sedile destituens, ac
prompto animo fecutus vocantem, obtinere meruit sedem judi-
cariam super duodecim tribus Israël. Iterum exiens JESUS de
fini-

finibus Tyri veniensque per Sidonem ad mare Galilææ, surdum &
mutum sanavit factō in hoc mari magnō motu fluctuum & procella- *Marc. 4.*
rum, Christus in puppi navis dormiebat, excitatusque à Discipulis,
ut opem ferret in tanto vitæ discrimine, imperat ventis & mari, & *Matth. 8.*
facta est tranquillitas magna. Transmare in regione Geraseno-
rum, duos à dæmonis vexatos liberat, facultatem faciens spiriti-
bus immundis intrandi in porcos, dignum certè talium hospitum
receptaculum, ut subito impetu totus gressus abiret in mare. Quod *Matth. 8.*
elementum iter liquidum humanis alijs exhibens gressibus, Christo
solidum præbuit obsequium, dum quartā vigiliā noctis super ma-
re ambulans, & vento contrariō flante, in medio maris jactatos.
Discipulos ex timore, confirmat; Petro procedente obviam Ma-
gistro suo supra marinos vortices, qui sub vestigij in fide natantis
Apostoli, dum cedunt & submersionis minantur periculum, auxi-
liatricem Conditoris sui reverentur dexteram, & Petrō salvō ad
navigium deductō, à furore suo mox detumescunt. Tunc adora-
tur Christus & Filius DEI agnoscitur. Idem mare alijs frequen- *Matth. 14.*
tiūs transfretavit Dominus, multasque alias circa illud operatus
est virtutes, ut patet ex evangelica historia. Ad hoc denique ma-
re post resurrectionem suam Christus suis se manifestavit Discipu-
lis, ubi uberem illam capturam piscium magnorum, centum quin-
quaginta trium, fecerunt, jubente Domino illis: rete mittere in
dexteram navigij, à quo, labore fessi, pane & pisces reficiuntur; ac
Petrō, de amore erga Christum ternā pertentatō interrogatione,
confessionēque de amoris veritate redditā, Dominici Ovilis cu-
ra committitur. Hic lucrantur Indul. 7. ann. *Joan. 22.*

CAPUT VI.

De Tertia mensa Christi Domini.

Occasione illius prodigiosæ refectionis, quam exhibuit beni-
gnissimus Dominus (qui de paucis granis multiplicat sege-
tes) in manibus suis multiplicando quinq; panes & duos pisces audi-
toribus suis, in loco deserto transmare Galilææ, quod est Tibe-
riadis, constituitur tertia mensa Domini: de qua quasi virorum
quinque millia, annonam tam paucam, benedicente Domino *large*

large paita tuere, Ut quemadmodum ex septem panibus septem
sportæ, juxta numerum panum superfuerant, ita ex hoc miraculoſo
epulo, juxta duodecim Apostolorum numerum duodecim cophi-
ni fragmentorum collecti ſint. Rationem reddente Divo Chry-
ſostomo: Nè reliquiarum aequalitas, miraculum confunderet, & obli-
S. Chrysost.
Zonares
Annal. p.
30
vionem adduceret, hoc discriminē ac differentiā utriusque ſigni memoriam
voluit confirmare. Quid autem de his cophinis & sportis Conſtan-
tinus Magnus egerit audiatur Zonares cum Nicēphoro, qui te-
ſtantur Divum illum Imperatorem quandam columnam porphyre-
ticam in foro Conſtantinopolitano Placoton dicto, erexisse, ac ſi-
mulacrum æneum, manu antiquarij, artificioque mirabili-
elaboratam defuſerat statuisse, quam ſtatuum Apollinis fuſſe
ferunt, Iliō Phrygiæ translatam; cui pius ille Princeps nomen
ſuum indidit, ac in dextera malum aureum crucis ſignaculō inſi-
gnitum reponuit, hâc epigraphe ſignans: *Tibi Christe DEUS Urbe*
hanc commendo. Cujus columnæ baſi duodecim cophinos &
ſeptem sportas, & panis Christi benedictione ſanctificati quædam
fragmenta ſubdidit, ac præterea dolabram Noë, quâ arcam con-
ſtruxit, cuncta annulō ſuō imperatori obſignans; ut quodamo-
do de novo promptuario, contra famis incomoda, in sportis illis &
cophinis provideret, qui quondam per manus apostolicas, miracu-
loſis fragmentis panum repleti fuerant, eāmque benedictionem,
quam de manu Domini in ſe receperant, Urbi jugiter refunderent,
effentque memoriale: *DEUM dare ſempre eſcam timentibus ſe*,
& querentibus regnum celorum, cætera adjicere. Hunc locum
menſa Domini viſitantibus & ſua portio reſervata eſt, an, nempe
7. Indulg.

C A P U T VII.

De Civitate Tiberiadis.

*C*ivitas Tiberiadis, quæ ante tempora Tiberij Cæſaris Cene-
reth & Ceneroth appellabatur, juxta mare Galilææ ſita eſt.
Hujus civitatis conditionem nominisque mutationem his verbis
Josephus l.
18. antiq.
• 3. indicavit Josephus: *Herodes Tetrarcha receptus in amicitiam*
Tiberij, de ipſius nomine urbem à ſe conditam vocavit Tiberiada, electo
ad hoc optimo agro in ora lacūs Genezareth. Quæ verba Josephi ſic ac-
cipienda

cepientia sunt; quod Herodes eam urbem, non à fundamentis condiderit, alias veritati consonum non esset, quod dicit S. Hieron. nymus de locis Hebraicis, in loco ubi fuit ædificata, fuisse prius vicum nomine *Chephira*, nec antea dicta fuisse Cenereth, nec capta à Benadad Rege Syriæ hæc enim multis temporibus præcesserunt Herodem & Tiberium; sed eam ædificasse dicitur, quia vicum parvum, captatâ optimi litus occasione in amplam & magnificam urbem convertit, plurimisque ædificijs auctam inditâ novâ nomine in gratiam Cæsaris, novam civitatem constituit, ut veteris vici Cenereth memoria, à novæ Urbis gloria quodammodo absorberetur. Hæc metropolis & terminus erat Decapoleos, orientem versus, à Tyro distans milliaribus triginta, teste Adrichomio ex Zieglero. Et quanquam Josephus lib. 3. bell. Jud. c. 16. asserat Scythopolim decem illarum civitatum fuisse maximam, credibile est, talem extitisse ante ampliationem Tiberiadis, hâc verò postea magnitudine suâ excrescente, & Herodis Regis habitatione nobilitatâ, illius regionis & temporis metropolis dici meruit. Bonifacius ait: in littore hujus civitatis stetisse JESUM post resurrectionem suam, & vestigia pedum suorum in lapide impressa reliquistæ, quæ Christiani piè adorabant & colebant. Verùm quod dicit ob scriptor Quares: huic contrariatur non esse in ea serpentes ob quorum timorem non habitetur, vel à peregrinis non visitetur, bene autem genimina illa viperarum pessima, Arabes habitatores, qui calcaneo insidiantur viatorum. Aut fortè ea parte inhabitabilis est, quâ in solitudinem redactâ, ruderibus suis similia venenata animalia fovet, & homines arcit. De hac citatus Quares: Tiberias in praesentia Tabaria, ab iistarum partium incolis nuncupata, civitas est in littore occidentali maris Galileæ ædificata in quadro, circum muris cum propugnaculis suis: totus ejus circuitus est unius milliaris tertio minus. Portam habet in plaga occidentali, ex marmore albo & nigro affabré elaboratam, alteram minorem habet in parte meridionali, alias non deprehendi. Non multum antiqua est, & veteri Tiberiade multò minor; hanc enim longè majorem istâ fuisse circumiacentes magna ruinae, & maximè procedendo ad duo millaria meridiem versus, non obscurè demonstrant. Intra ad littus maris in aquilonari Urbis parte

est templum: & quamvis vel in Turcarum Mesquitam, & bestiarum stabulum conversum sit, & pristinum amiserit splendorem, structura ejus nihilominus integra perseverat: longitudinis est gressuum viginti quatuor, latitudinis duodecim circiter. D. Petro dicatum est, quod credatur ibi sanctum Apostolum à Christo Domino, post suam resurrectionem in maris littore existentem, supremum Pastorem institutum fuisse. Joan. 21. v. 46. Ab orientali plaga habet mare Galilæa, ab occidentali montes eminentes, supra quos erant munitiones & habitationes. Hæc Quaresmius. Hic concessa est indul. 7. an. Fuit autem destruēta hæc urbs magnifica à Saracenis anno 1187.

C A P U T VIII.

De Castello Magdalo.

*Andricho.
in Zabul.
n. 41.*
S. Hieron.
EX Tiberiade secùs mare ad meridiem procedendo per *Em-*
maus sive ut Adrichomius vocat *Ammaus*, non illud quidem
castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem,
ubi cognitus est Dominus à duobus discipulis suis in fractione pa-
nis, sed quod vicus quondam fuit aquis clarissimis, calidissimis &
mineralibus, sanandisque corporum vitijs nominatus, nunc autem
totus desertus, pervenitur ad castellum Magdalum, quod in pul-
chra & foecunda regione Genezareth constructum erat. Magda-
lum fuit vocatum à turribus & munitionibus, quibus eleganter in-
structum erat, solis ruderibus nunc apparentibus. Hinc fertur
oriundam fuisse Mariam Magdalenam fororem Marthæ & Lazari,
suumque traxisse cognomen, tanquam castelli Magdali Patronam
seu Dominam. Unde S. Hieron. dixit rectè vocatam fuisse Mag-
dalenen, id est turritam ob ejus singularem fidei ac ardoris constan-
tiæ & fortitudinem. Locus gaudet 7. an. Indulg.

C A P U T IX.

De Bethsaida Civitate Galilææ.

Joan. 4.
Bethsaida una ex decem civitatibus regionis Decapoleos, sita
est ad mare Galilææ inter Capharnaum & Magdalum. suis
nunc sepulta ruinis. Hanc Joannes Civitatem, Marcus verò Vi-
cum

cum appellat; rationem hujus diversæ appellationis reddente. Marc. 8.
Jansenio & Maldonato, quia inter Urbes regionis & ipsa civitas Janse. &
erat; quia verò mole suâ parvâ, vici cuiusdam speciem referebat. Maldo.
Vel quia ex vico in civitatem elevata fuit sub Philippo Tetrarcha.
Nam norandum venit ex Josepho quod sicut eo tempore, quo Josephus l.
Herodes Tetrarcha, qui & Antipas, Augusto imperante, Sephori 1.8. antiqu.
cinxit mœnibus, & totius Galilæa caput constituit, eique in ho-c. 3. & l.
norem Juliæ Augustæ Juliada nomen imposuit: ita eodem tem-1. de bel.
pore Philippus Tetrarcha Ituræa & Trachonitidis regionis pari-Jud. c. 8.
æmulatione, in gratiam ejusdem Augusti Cæsaris, Paneadam, si-
tam ad Jordanis fontes, auctam ædificijs Cæsaream dici voluit, &
vicum situm in ripa lacus Genezareth, Bethsaida dictum; in spe-
ciem Urbis nobilitatum, nomine Juliæ Cæsaris filiæ, Julianum nun-
cupavit. Verumtamen justâ censurâ hanc relationem historici,
redarguit noster Quaresmius non satis nempe probari Bethsaidam Quares.
ipsam, mutato nomine esse Julianam. Si enim ex vici mutatione in Tom. 2.
Civitatem Bethsaida & suum nomen mutavit, certè & Evangelistæ Elucid.
de ea loquentes, magis nobili & usitato nomine eam Julianam appellavissent, quemadmodum loquentes de alio loco, qui priùs diceba-Terra S. I.
tur Cenereth, magis usurpat & nobiliiori nomine Tiberiadem ap-7.c. 7. A-
pellarunt, quia ex vico in nobilem Urbem ad honorem Tiberij dricho. in
Cæsaris converta fuit, quo modo & Paneadam, Cæsaream Philip-suo Thea-
pi vocarunt. Quia ergo frequenter de Bethsaida loquentes, tro.
nec semel eam Julianam appellarunt, dicendum videtur, Bethsaidam tro.
& Julianam distinctas fuisse Civitates, quales & Adrichom. descriptis.
Julia enim Civitas fuit transmarie & Jordanem: erat enim vicus Marc. 8.
transmarinus, ex adverso Bethsaidæ situs, & sub ejus ditione, quem
Philippus Tetrarcha, Christi tempore, muris cinxit, & in civitatem
convertit in honorem Cæsaris & Juliæ ejus filiæ, à qua nomen X 2
fortitus, Utbs Julia, Julias & Juliada dicta fuit, ut docet idem Au-
thor in Manasse c. 2. num. 63. Ad Bethsaida fuit Galilæa civitas cis
mare Galilæa, & in ejusdem littore sita, quemadmodum suprà in
descriptione Maris Galilæa c. 5. distinctas possumus, unam in
litore orientali, alteram occidentali maris Galilæa. Bethsaida
patria uit primorum Christi Discipulorum Petri & Andreæ, nec
non Philippi Apostoli. Extra Bethsaidam Christus illuminavit Marc. 8.

Ecce cum illum, qui vidit homines velut arbores ambulantes ut patet ex contextu Evangelij. Fuit etiam tanta multirudo gratiarum & miraculorum, quae ad conversionem Bethsaidensium operatus est Dominus, ut videns eorum durum & impoenitentia cor, ac thesaurizare eos sibi iram in die iræ justi judicij DEI, imponentiam eorundem illis exprobraverit verbis : *Væ tibi Coronam! væ tibi Bethsaida! quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, qua factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere penitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die judicij quam vobis.* Nunc Bethsaida, ut & aliæ vicinæ civitates solò æquatæ, debitas imponentiaæ suæ luunt poenias, ad pulverem usque humiliatae. Non longè inde occurruunt montes multis evisceraticavernis, in quibus plurimi viri sancti, dignos poenitentiaæ fructus fecerunt præsertim sub Balduino & Almerico Regibus, teste Bonifacio.

CAPUT X.

De Civitate Capharnaum.

Adricho. **C**apharnaum, græcè: Capernaum teste Adrichomio in tribu Nepthalim glorioſi quondam nominis erat emporium, atque ex primarijs regionis Decapoleos Urbibus una, reliquas opibus, fastu, luxuque excellebat. Sita erat ad mare Galilææ super ripam Jordanis fluminis, in finibus Zabulon & Nepthalim, in amœniori & feraciori Galilææ agro, quam ab Oriente quidem ipse Jordanis, qui mox in mare Galilææ influit, alluebat, ab Austro verò ipsum mare, Urbis moenia lambebat. Tempore Divi Hieronymi, amissō primævæ gloriæ suæ splendore, ex florentissima urbe, in oppidum transiit, ut ipse indicat. Post Divum Hieronymum quando eam vidit S. Aculphus murum non habebat inquit Adamnanus. Brocardi tempore viculus erat, sic enim ipse refert dicens: *Capharnaum Civitas quondam glorioſa, sed nunc viculus humilis, vix se ptem habens casas pectorum.* Sed nondum hic divinæ justitiæ & coominationis finis; adeo enim posterioribus temporibus subversa fuit, ut nè situs quidem, ubi constructa fuisset, nisi signis deprehendi possit, Bonifaciò sic testante *Et quia hanc civitatem difficile invenire poteris, quia sublò ruina ejus cooperata sunt; duas arbores pal-*marum,

*S.Hiero. l.
de Loci
hebraicis.*

*Adamnan
l.2.c.32.de*

Loci S.

Brocard.

Bonifac.

l.2.de pe-

renniscitu

T.S.

marum, quæ in medio civitatis desolatæ sunt, tibi pro signo trado. Id
ipsum confirmante Quares: in situ illius, inter lapidum congeries &
morum ruinas, non aliud deprehendi, quām dictas palmas, &
miserabile diversorium, in quod se viatores recipiunt. Ipsa Ca-
pharnaum excidijs sui & desolationis causam divinæ Justitiae præ-
bente, nec tempus visitationis suæ cognoscente, quam plurimis sig-
nū & prodigijs visitare, & ad poenitentiam adducere conatus est Do-
minus ut ad æmulationem concitatæ alia civitates dicerent, præ-
sertim Nazareth, mentem ejus referente Salvatore verbis illis:
quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Ve-
rū cùm plurimas Christi virtutes, signa & prodigia, non ad con-
versionem suam & poenitentiam, sed ad damnationis suæ testimo-
nium, sibi converterint Capharnaitæ; meritò contra eos illud gra-
ve verborum Christi intorquerit fulmen: *Et tu Capharnaum num-
quid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes. Quia Matth. II.
si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansi-
sent usque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terra Sodome-
rum remissius erit in die Iudicij, quād m tibi.*

De Capharnaum licet veteris Testamenti litera fileat, frequen-
tior tamen ejus mentio habetur in sacris Evangelij. Ubi enim
JESUS in nuptijs Canæ Galilææ, per primum miraculum conver-
sionis aquæ in vinum, manifestavit gloriam suam; *descendit Caphar- Joa. 2.
naum ipse, & mater ejus, & Fratres ejus, & discipuli ejus.* Iterum:
reliktâ civitate Nazareth, venit & habitavit in Capharnaum maritimæ,
in finibus Zabulon & Neptahim. Ex Capharnaum profectus JE-
SUS, circuibat civitates & castella, evangelizans regnum DEI, &
sanitatem impertiens multis infirmis. Indè reversus Capharnaum,
docebat illos Sabbatis stupentibus omnibus in doctrina ejus, quia
in potestate erat sermo illius. Ibi in Synagoga hominem à dœmo-
nio immundo liberavit, multosque alios à spiritibus malis vexatos
sanavit, dœmonijs, cœcitatem Judæorum propria confessione re-
darguentibus, ipsum Sanctum & filium DEI esse, ac Christum.
Hic ægrotum famulum centurionis, & Socrum Simonis magnis
febris astuantem, plurisque alios diversis morbis laborantes &
post occasum solis ad se adductos per manuum impositionem,
optatæ sanitatem restituit, ut docent Marcus, Lucas Matt. Creditur
X 3 Marc. i. *hic*

Luc. 4. hic quoque Jairi, principis Synagogæ filiam defunctam ad vitam revocasse. Hic JESUS paraliticum illum in grabato per tectum dimissum, surgere, tollere lectum, & in domum suam ire jussit. Hic aridam hominis manum sanitati restituit Sabbatō; Pharisei in eo violatam legem accusant, conjurant in Christum, ille furori cedendum ratus indē discedit, & in itinere multa miracula facit. Ad mare, Urbe egressus JESUS, in numerum suorum discipulorum adsciscit Levi Alphæi, seu Matthæum lucris telonei intentum, exceptiprūque conviviō in domo illius, frendentibus scribis & Pharisæis, quod cum peccatoribus & publicanis manducaret & biberet,

Marc. 2. In Capharnaum primō Sacramenti Eucharistiae doctrinam prædicavit, pro se & Petro solvit didrachma. His plura alia fecit & docuit JESUS in Capharnaum, quam potissimum in carne humana,

Matth. 12.

Matth. 17.

Matth. 9.

S. Chrysost. conversatū ad habitandum elegit, ut Christi civitatem appellaverit S. Matt. rectius præ alijs dicente S. Chrysostomo: *Propriam h̄c civitatem Christi Capharnaum appellavit Evangelista. Bethlehem enim ipsum tulit, Nazareth educavit, sed Capharnaum perpetuum ipsius erat habitaculum.* Et non immeritò hanc Christus elegit urbem, in qua tot mirabilium suorum memoriam fecit. Cum enim lux fuerit mundi, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, locum hunc maximā hominum frequentiā celebrem, in habitaculum suum constituit, ubi plurimū proficere poterat, & in tenebris sedentes, luce prædicationis illuminando, & in luce ambulantes miraculorum gratiā & vitae sanctitate confirmando: non tam illi qui proximam, quam etiam qui transmarinam regionem incolebant, Capharnaum mercandi gratiā, tanquam ad famosum emporium confluabant, quod in via erat, quæ ex Syria itur in Jerusalem & Ægyptum, undē & citius pervios populos habere poterat prædicatio & miraculosa operatio Christi, ut alias regiones non lateret, quod tantus populorum concursus in Capharnaum videret. Stante hâc urbis nunc, ut dictum est, desolatione, consolatur tamen peregrinos. **7. an.**
Indulg.

TRACTATUS XXIV.

Intra montes celeberrimos, quos Terra promissionis sinu suo complectitur, magnis sanè nominis in sacra pagina habentur Carme-

Carmelus & Libanus; ut ex illorum decore & venustate, ad commendandam pulchritudinem sponsæ suæ, cœlesti sponsio desumere placuerit nobiliora illa elogia, quæ passim Scriptura sacra refert. Ore enim propheticō ait: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron.* Et ut ipsa gloriam magnificentiæ suæ loquatur, apud Ecclesiasticum dicit: *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano.* Copia vero gratiarum, quas in eam derivavit Sponsus, exprimitur per copiam aquarum, quæ de monte Libano cum impetu profluunt, dum dicitur esse: *Puteus aquarum viventium, qua fluant impetu de Libano.* De his montibus, ut benevolus Lector pleniorem capiat notitiam. *Cant. 4:8*

Isa. 36.

Eccle. c. 4.

Cant. 4:8

C A P U T I.

De Monte Carmelo.

Montis Carmeli frequentior in sacris litteris habetur mentio, nec semper eum locum, de quo loquimur, sed quandoque ab hoc diversum signat, ut ex sacris Doctoribus edocemur. D. enim Hieron. ait: *Do sunt montes, qui vocantur hoc nomine; alter, in quo fuit Nabal Carmelus, maritus Abigail, ad Australem plagam, alter juxta Ptolomaidam, quæ prius vocabatur Acho, mari imminens. in quo Elias Propheta flexis genibus pluvias impetravit.* His conformia habet *S. Hiero.* Abulensis, unum Carmelum ponens in forte Tribù Judææ, *Abul.* alterum Tribù Issachar. Carmelus iste, de quo est sermo, *Josue. 19:* in libro Josue appellatur *Carmelus maris*, nempe Mediterranei, quoniam huic proximus est. Fuit hic mons fecundus, ac frumentum ubertate insignis; *Carmel* enim Hebræis significat spicam plenam, sed adhuc viridem & teneram, ut linguae hujus periti docent. In præsentia fecundus non est, nec fructiferis abundat arboribus, sed pro majori parte nuda rupes, ac multò magis propter cultorum ineritam & negligentiam. Mons iste celebris, per mare transfretando distat Ptolomaïdā duobus milliaribus, per terram iter agenti, facienda sunt quatuor. In summitate cuius montis conspicitur antiquum Castellum, & Ecclesia, ut fertur B. Virginī MARIÆ dicata, sub qua reperitur antrum, in quo latebat S. Propheta Elias *Niceph. l.* fugiens à facie crudelis Jezabelis. Et testatur Nicephorus S. He- *s. c. 3:8.* lenan



Ienam in monte Eliæ Thesbitæ, construxisse Ecclesiam. Ubi licet
non ponat expressè montem Carmelum videtur tamen de illo lo-
qui, ut mons Eliæ Thesbitæ, sit mons Carmelus, in quo potissi-
mum suum fixit domicilium. Notum enim est, hunc sanctum Va-
tem vitam coluisse eremiticam: hinc Hieron: & ipse sedulus ere-
S. Hiero.
Ep. 12. ad
Paulinum
mi cultor, dixit: *Noster princeps Elias, noster Eliseus.* Idem sentiunt
& alij complures Patres. Mons autem Carmelus aptissimus erat
ad vitam monasticam & solitariam, in divinis meditationibus &
mortificationibus traducendam: tum etiam hunc montem sibi
majori affectu ad habitandum eligisse Eliam, sentire justum est,
propter insignia miracula, quæ ibi DEUS ostendit. In isto nám-
que monte Elias Propheta coram Rege Achab, & oëtingentis
quinquaginta Pleydo-prophetis Baal, cùm illi frustra, juxta ritum
suum, se inciderent cultris & lanceolis, ac Idolo iñolarent, DE-
UM verum, igne cœlitus demisso, experimentō comprobavit; &
Psevdo-prophetæ, tanquam Idololatræ, & falsi numinis cultores
ad torrentem Cifon interfecti sunt. In hoc monte Elias preci-
bus suis, pronus in terram, ponensque faciem suam inter genua
sua, quemadmodum ignem de cœlo, ita & copiosam exoravit plu-
viam, ut post trium annorum & sex mensium sterilitatem & famem,
arida terræ facies fluentis cœlestibus largè infunderetur, nube-
cula illa parva quasi vestigiō hominis ascende de mari, aliàs
typo DEIparæ Virginis insigni, quæ facta est in pluviam grandem.
3. Reg. 18.

3. Reg. c. 18
Post raptum verò Eliæ in curru igneo, hunc montem incoluere in
spiritu & ministerio successor Eliseus Propheta, ac filij Prophetarum.
Hoc tempore locum inhabitant tres vel quatuor Patres
Carmelitæ Discalceati, qui tamen frequentius loco cedere, & Pto-
lomaidam se recipere, propter Arabum incursions & extortiones,
coguntur. Intra occurrit antrum ad modum Ecclesiæ adaptatum,
sub jurisdictione tamen Turcarum, ibidem habentium unum San-
tonem, & unam lampadem in Ecclesia, ad quam nihilominus in-
trare advenæ Christiani permittuntur, qui ibidem septem anno-
rum lucrantur Indulgencias. Iste mons facer, eo tempore, quo
leges dabant Palestinæ, Princes Christiani, plenus erat Anacho-
retis, qui vestigijs prophetarum inhärentes, in diversis speluncis
& cavernis, vitam solitariam, à mundi tumultibus elongati, age-
bant,

bant, solique DEO vacabant, Restat hinc etiam memorandus monticulus, de quo inter Orientales talis fama habetur. Quod nempe eundem perambulans Elias Propheta, visis ibi peponibus & angurijs, unam petierit ab hortulano, qui sarcasmô sanctum Valentem excipiens, respondit; non esse pepones, sed lapides. Fiant igitur lapides reposuit sanctus, & mox omnes peponum fructus in lapides conversi sunt. Quod factò in furias actus hortulanus, eosdem hinc inde per rupes disjecit, quorum hodieum aliqui repe riuntur, & ego partem notabilem ex Palæstina mecum attuli; va cui sunt in medio, colorem anguriæ iatus exhibentes rubro-chry stallinum.

C A P U T II.

De Villa Caipha.

Caiphas, quæ à Guilielmo Tyri Episcopo *Porsina & Porphyria* vocatur, Urbs quondam erat ad radices Carmeli montis, ex parte Aquilonari sita, & à Caipha Pontifice constructa, suo que nomine appellata. Habuit Episcopum suffraganeum, quo tempore à Christianis possidebatur. In præsentia exiguis pagellis est, modicum habens maris portum pro minoribus navigijs ex cipiendis, & divertitorum, in quod è mari descendentes se recipiunt; reliqua diruta & humo operta sunt.

C A P U T III.

De Tyro antiquissima, & maritima Civitate.

Tyros, sive ut nunc usitatò vocabulò appellatur *Sur* civitas olim intra mare, & ut ait Ezechiel *in corde maris sita* in rupe fortissimæ ædificata fuit, & undique cincta; sed nunc peninsula est; multis ex plaga ejus Orientali aggeribus conjectis, per terram, ad eam præstant accessum. Urbs omnium totius Phœniciae maxima & florentissima erat, ejusdémque Metropolis, domina maris, totiusque orbis celeberrimum emprium: & propter negotiacionum opportunitatem, hominum frequentiam, divitiarum opulentiam, ædificiorum magnificentiam, soli amœnitatem & fœcunditatem apud sacros & profanos Scriptores mirificè commendatur.

Y

Lege



Lege Ezechieliis Prophetæ cap. 17. & Tyri quondam gloriam videbis. Hæc multorum Regum sedes erat, cui dominabatur tempore Salomonis Hiram, qui ad ædificationem templi in Jerusalem, ligna, cedrina & abiegna, fabros & cæmentarios Salomoni præbebat postea Palæstina à Christianis recuperatâ, Archiepiscopali sede insignita fuit, cui parebant 14. Episcopi suffraganei Anno Domini 1123, ut notat Baronius, in cujus urbis Cathedrali Ecclesia Almericus Rex Jerusalem deponatus & coronatus fuit anno 1167. Si Tyri antiquitatem spectes, fundata putatur à Tyro, nepote Noë, & patre Nini Caldæorum Regis. Ad quod alludere videtur Isaia de Tyro agens & dicens: *Nunquid non vestra hæc est, quæ gloriabatur à diebus pristinis in antiquitatem sua?* Hæc bellis attrita iterum restaurata fuit à Phœnicio, unde & Phœnicia appellabatur, non quod ille ejus conditor, sed restaurator existeret, interdum enim scriptores foundationis vocabulum, pro restauratione & ampliatione usurpant. Dicitur urbs hæc 240. annis antiquior esse Templum Salomonis. Urbe hâc natâ perhibetur: Dido filia Beli, & soror Regis Tyriorum Pigmalionis, quæ trajiciens in Africam in partibus Lybiæ condidit Carthaginem, æmulam illam potentiae Imperij Romani. Tyrô prodixit Apollonius Antipater, & multi alij potentes & à sæculo famosi viri. Hic Origines sepultus putatur & Fridericus I. Imp. in expeditione bellica pro recuperanda Terra sancta, diem obiit supremum, complurèisque alij. Hic gloriosam martyrij palmam consecuta sunt tot millia Martyrum, sibimannissimo, maximè christiani nominis hoste Dioclet. Imp. Adrich. de Tyro antiqua paucis agens. Ab orientali illius porta, quam procul arcus bis jacere potest, inquit, magnum quendam lapidem in medio arenæ ostendi, super quem Christus stetisse & prædicasse dicitur; ubi etiam mulier quædam extollens vocem de turba dixit Christo: *Beatus venter qui te portavit & ubera qua suscepisti.* Qui lapis nunquam arenâ aut pulvere tegi dicitur, quanquam assiduo pœnè ventorum flatu & turbine arena agitetur, ipsis quasi creaturis reverentibus locum, ubi steterunt pedes Creatoris earum. Qui additionem fecit ad historiam Ecclesiasticam ad c. 79. super Evangelia scribit his verbis: *Ante Tyrum fuit lapis marmoreus grandis, super quem sedit JESUS; illas tempore gentium, sed postea à Franz-*

3. Reg. 5.
Baroni.

Isa. 23.

Adricho.
in Asern.
84.

Luc. 11.

eis & Venetianis mutilatus ; supracujus residuum in honorem Salvato-
ris Ecclesia constructa est. Hujus lapidis meminit etiam Vitriacus.
Quod attinet mulierem supra relata, existimat Quares: Elucid.
Terræ S. Tom. 2. lib 7. c. 10. id contigisse, non apud Tyrum, nec
ad mare magnum, sed apud Capharnaum & mare Galilææ, quan-
quam in admodum vetusto manuscripto hoc apud Tyrum fuisse
factum, se legisse dicat. Quid horum propius ad veritatem acce-
dat, studiosus Lector facile ex Evangelio deducere poterit. Pro
nunc hæc civitas in tantum dejecta jacet, ut vix aliqua piscatorum
tuguria remaneant. Hic concessa est 7. an. Indulg.

Quares:
1. 2. l. 7. c.
10. Eluc,
Ter. S.

CAPUT VI.

De Sarepta civitate, & Puteo aquarum vi- ventium.

Intra Sareptam & Tyrum occurrit famosus ille fons, cuius ce-
lebris mentio fit in Canticis vocaturque fons hortorum. *Puteus Cant. 4.*
aquarum viventium, qua fluunt impetu de Libano. Fons hortorum
dicitur, eò quod hortos, campos, prata, & omnia per circuitum
rigando fecundet. Puteus dicitur, propter aquarum abundantiam,
quæ ad modum homo divitijs abundans, puteus pecuniarum
appellari potest. Aquarum viventium nominatur, quoniam non
aliunde originem suam habent, sed in ipsis est quodammodo vitale
principium & scaturigo, ut aquas semper novas copiosè ejiciant.
Fluere autem dicuntur de Libano, non eò modo, quod torrens
aqua pluvialium cum impetu de monte aliquo labitur, & cur-
su præcipiti fertur; sed quia principium suum, & venas suas ex Li-
bano habet, & quia ad pedem montis ejus oritur. Impetu fluere
dicuntur, propter magnam aquarum abundantiam, quam fons in-
cessanter eructat, ut vehemens ille aquarum ab aquis impulsus
ipsius fluxus impetus intelligatur. Hunc fontem opere regio,
magnò regionis illius commodò, Alexander Magnus obsidens
Tyrum, dicitur in formam meliorem redigisse, dum magnam illa-
rum aquarum voraginem & naturalem puteum, tempore Salomo-
nis existentem, muris fortissimis, lapidibus durissimis, & opere in-
dissolubili, intra viscera sua circumsepsit, ad altitudinem hastæ &
amplius;

amplius; unde per alveos aquæ illæ defluentes, totâmque Tyri plantiem irrigantes, multa valdè commoda pecoribus & hominibus conferunt, & in modico spatio rotas impellunt molendinarias. Jacobus de Vitriaco de hoc fonte loquens ait: *In Tyri territorio, in loco aliquantulum edito, est sors sive puteus juxta quæ fessus ex itinere, dicitur quievisse Dominus, cùm pertransiret per fines Sidonis & Tyri habet autem aquas limpidissimas intrinsecus ita copiosè scaturientes, quod omnia pomaria & hortos olerum, & universam irrigat regionem.* Hunc Salomon in Canticis Puteum aquarum viventium appellat. Hæc ille, Probabilitate sua hæc traditio non caret, quoniam ad hunc fontem, ob copiam & bonitatem aquarium divertere solent viatores. Quare cùm certum sit ex Evangelio Christum Dominum per has regiones transisse, & civitatem, quæ gentium erat, haud fuisse ingressum, nè Judæi id sibi scandalo sumerent; ideo credibile est ad fontem hunc cum discipulis suis diversisse, & ex itineris lassitudine super eum sedisse, & ex aquis illius bibisse. Sarepta civitas quondam Sidoniorum, ab hoc puteo distat quatuor circiter milliaribus, quâ subversâ in ejus locum successit villa quædam supra montem constructa, ab incolis Sareth dicta, quod in situ ædificata fuerit, ubi olim Sarepta fuit. Inferius lata & fœcunda est planities, oleis præsertim abundans, nec non multæ ruinæ veteris Sareptæ magnificentiam ostendentes. Hæc patria illius viduæ erat, quæ toties S. Eliam Prophetam hospitiô recipiebat, & reficiebat esurientem. Cui pro accepto beneficio datum est, ut famis tempore, ejus hydria farinæ non deficeret, & oleum in lecytho non fuerit imminutum; quibus commodè vitam 3. Reg. 17. cum filio suo transigere potuit ut habeat liber Reg. Cujus sancti Prophetæ meritis etiam id consecuta est, ut filius ejus mortuus virtute restitueretur. Hic visitantibus constituta est 7. an. Indulg.

C A P U T V.

De Saida, seu Sidone civitate maritima.

Civitas hæc, quæ in sacris litteris Sidon appellatur, nunc vulgo audit Said & Saida. Ab Occidente mari magno, seu mediterraneo alluitur, estque caput totius Phæniciae; per antiqua & magna

magna extitit, ut ab ea longè distantes reliquiæ & ruinæ non obscurè indicant. Tuto & tranquillo portu citatur, secunda optimo solo. ac aëre salubri gaudet, ut multis Palæstinæ Urbibus inferior nou sit. Fundata dicitur à Sidonc, primogenito Chanaan, cuius men-
tio fit Gen. 10. Alij tradunt fundatorem ejus fuisse Cadmum. *Ges. 10.*
Phœnicis fratrem, sed minori cum probabilitate. Hic pro numi-
ne colebatur Astarthe Dea Sidoniorum, vel si forte idem sit Ido-
lum Astaroth, quod colebat & ipse Salomon, à mulieribus genti-
libus depravatus, ut indicat liber Reg. Sidone prodij crudelis *2. Reg. 11.*
illa interfex Prophetarum Jezabel, alia Ethbaal Regis Sidonio. *3. Reg. 16.*
rum quam impius Rex Itraël Achab duxit in uxorem. In partitio-
ne Terræ promissionis probabilius putatur in sortem cecidisse.
Aseritis, ut dicit Andreas Masius. Et licet obstat videatur bene, *Masius in*
dictio illa paterna Jacob, quam dedit Zabulon filio suo, morti *c. 19. Josue*
proximus: *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione navium*
pertinens usque ad Sidonem; dicit Masius, Sidonem non fuisse ter-
minum fortis Zabulon, néque oppositum dicere voluisse Jacob,
sed tantum posteros Zabulon habitatores ad mare, versaturōsque
frequenter in portibus & navibus, átque mercaturam facturos.
apud Sidonios, & cum Sidonijs illam iplam oram maris tenentibus,
& mercatoribus toto orbe celeberrimis: ex quo futura erat illius
Tribus Zabulon ingens rerum opulentia & abundantia, ad quam
plurimum conductit mercatura maritima. Nec Josue describens
subtiliter fines & terminos Tribus Zabulon, mentionem Sidonis
facit, quam tacitam sanè non reliquisset, cum Urbs antiquissima &
celeberrima fuerit. Cuicunque demum Tribui sorte obtigerit,
constat, néque Zabulonitas néque Aseritas, aliásve Tribus Israe-
liticas eam possedisse, cum de ea nativos incolas expellere non
potuerint; & usque ad tempora Christi à Gentilibus & infidelibus
occupabatur; ut colligi potest ex verbis illis Salvatoris. Væ tibi
Corozain, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtu-
tes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere penitentiam egissent. *Matth. 11.*
Sidonem pretiosâ præsentia suâ nobilitasse Christum, liquet ex *Marc. 7.*
Marco. Et iterum exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare in Affer.
Galilæa inter medios fines Decapoleos. Adrico: assignat locum apud *n. 73.*
Sidonem ante portam ejus orientalem in via, quæ Ituræam & Cæ-
faream

faream Philippi versus dicit, ubi mulier Chananæa Christo occurrit, eumque pro salute filiæ suæ à dœmonio vexatæ deprecata fuit, ubi postea à Christianis facellum constructum dicit. Verū Qua-

Quares: T.
2. Elucid.
T. S. l. 7.
pereg. 8.
6. II.

res: insistens communis harum partium Traditioni, astimat, citra Sidonem in ejus plaga meridionali, Christo Chananæam obviam factam fuisse, cùm locus ab Adrichomio indicatus non sit confinium Tyri & Sidonis, sed in suburbio Sidonis, & longè à memoratis finibus; mulier autem JESU secedente in partes Tyri & Sidonis, famâ miraculorum excita, ex ejusdem finibus egressa referatur. Præterea Marcus loquens de loco, ubi Christus sanitatem concesserat filiæ Chananææ, & à quo discesserat, & loco, per quem transiverat inquit: *Iterum exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.* Igitur cùm tam Sidon, quām mare Galilææ regiōque Decapolitana sint in opposita parte finium Tyri & Sidonis (Sidon enim est in septentrionali, mare Galilææ & regio Decapolitana in Occidentali, & prædictorum finium Tyri & Sidonis) nē dicamus: Christum retrocessisse per portam illam Orientalem Sidonis, de qua Adrichomius, & non tunc discessisse à finibus præmissis, & per Sidonem transisse, nullò modō asseverandum est, ante portam Orientalem Sidonis, Chananæam à Christo Domino gratiam fuisse consecutam. Et hæc suffragantur communior traditioni; quia hic verè sunt fines sive confinia Tyri & Sidonis, & locus ferè inter utramque civitatem medius, & hinc est verè iter ad mare Galilææ per Sidonem, etsi alia via potuisset Christus ad idem ire, sed ut urbi illi spiritualia bona largiretur, per eam transire dignatus est. Fortè in loco ab Adrichomio notatō, aliud signum fecit Dominus, ubi postea à Christianis facellum extructum dicit, quod à Turcis in mesquidam consum fuit; qualis & ostenditur à Turcis usurpata, à Christianis autem extructa Capella, ubi juxta Sareptam secūs mare, Chananæa mulier, quæ opinione aliquorum ex Cana majore fuit, filiæ sanitatem consecuta est, ut harum partium fert traditio, quam sequitur Quares: citatus. Sidonem & Tyrum cum exercitu suo peruenit Alexander Magnus superatō Dariō, quō locō posteriori, insigne æthnicæ pietatis reliquit exemplum, teste Valerio Maximo; dum nempe urbe occupata, sex millia satellitum jugulavit, aliis que

que duobus millibus juxta mare in crucem actis; ijs omnibus vi-
tam donavit, quos templō inclusos reperit. Ex Christianis Prin-
cipibus verò sui juris fecit Rex Balduinus Sidonem, anno Christi
1111. quam & sede Episcopali ornavit. Visitantes hanc urbem.
7. Indul. lucrantur; imò & reliquas Terræ Sanctæ, si ab incepto
itineris ulterioris præpediantur, à supra de Joppen notatum est.
Sidone residet Consul gallicus, habens pro Capellano P. Capuci-
num; nostri verò Fratres curam parochialem habent animarum:
adsunt & quandóqne duo ex PP. Societatis JESU nationis gal-
licæ.

C A P U T VI.

De Barutha seu Beryto urbe maritima.

A Sidone Septemtrionem versùs emensis septem milliaribus,
secùs mare magnum, secundo amoenoque territorio inædi-
ficata, occurrit iubis Phœniciæ Syriae Berytus seu Baruth; quæ hoc
nomine dicta, à quibusdam putatur ab idolo Berith. Adrich. in *Judic. 91*
locis exteris de hac urbe plura refert, & præsertim à Gergesæo *Adricho.*
quinto filio Chanaan fuisse constructam, olîmque *Geris* dictam, &
postea *Felicem Julianam* appellatam, & tempore Christianorum Epi-
scopali dignitate fuisse insignitam. In præsentia pro majori par-
te inhabitatur à Machometanis, quanquam & aliqui Christiani,
ut Maronitæ, Græci ibi reperiantur, qui in proprijs Ecclesijs, ritu
suo, DELIM colunt. Curam animarum Maronitarum gerunt
duo P. Capucini Missionarij Apostolici nationis gallicæ. Olim
domum cum Ecclesia S. Salvatoris habebamus nos Patres Franci-
scani, ut patet ex Bulla Martini V. que incipit: *Salutare studium,*
&c. datâ Romæ apud S. Petrum 16. Kal. Martij. Pontificatus ejus
anno 4. ubi hospitiò excipiebantur peregrini, & in spiritualibus,
mercatoribus inserviebant, sed locum reliquerunt, quia raro eò *Sigeberto.*
divertunt, peregrini & mercatores. Est etiam Beryti Ecclesia S. *Baron. T.*
Salvatoris, eò fundata in loco, in quo grande miraculum circa *9. An. 781.*
Crucifixi effigiem operari dignatus est Dominus, temporibus Con- *n. 36. &c.*
stantini Junioris, & Irenes Augustorum, ut testatur Sigebertus in *seq.*
Chron. Anno Domini 765. & Baronius. Quidam enim perfidi
Judæi invenientes imaginem Crucifixi in domo cuiusdam Chri-
stiani,

Riani, qui hâc desertâ, ampliorem mansionem sibi quæsierat, & rebus suis translatis, imaginem hanc, quam ex adverso lectuli fixam habuerat, oblivione ibi reliquerat: pro exasperato perfidiae suæ genio in Christum Crucifixum, maledicta in eum conjicentes, & singula pœnaru[m] genera, quæ DEUS immortalis in carne mortali passus fuerat, repetenies, tandem latus imaginis Dominicæ, lancea transfixerunt; & confessim sanguinis & aquæ tam uberes rivuli emanare cœperunt, ut pretiosò hōc liquore ab Episcopo collectō, inque diversas orbis partes transmisso, Ecclesiæ Orientales & Occidentales ubertim ex eo acceperint, Hebrei verò eō visō miraculō, ac multis infirmis sanitatem donatis, ad fidem conversi fuerint, Synagogásque suas in Ecclesiæ consecrari fecerint. De hoc pretiosissimo Thesauro conservatur ampulla in Ducali Ecclesia S. Martini Venetijs. Extra Berytum egrediendo, ostenditur locus, in quo Divus Georgius immanissimum Draconem occidendo, filiam Regis à morte liberavit. Item circa medium quadrantem milliaris procedendo conspicitur ampla caverna, in qua dicta bellua morabatur. Si quis autem diceret hæc in Cappadocia contigisse, Baruthenses respondent locum conflictus Cappadociam appellari, quomodo ex Ludovico Romano & Breidenbachio tradit Adriachomius in Afér: num. 91. Verùm super hoc audiatur censura sapientissimi S. R. E. Cardinalis Baronij, qui in annotat. ad Martyrologium Romanum sic ait: *Pictura illa S. Georgij, quā effingit[ur] reges armatus, qui h[ab]et a cuspide Draconem interficit, juxta quem etiam Virgo posita manus supplices tendens imploret auxilium; symboli potius* —, *quam historiæ alicujus opinor esse expressam imaginem: in nullis enim quæ recensuimus S. Georgij Actis antiquis, quicquam ejusmodi legitur: sed à Jacobo de Voragine, absque aliqua majorum auctoritate ea ad historiam referuntur: quæ potius in Virgine illa typum exprimit (more majorum) provinciæ vel civitatis alicujus, quæ adversus diaboli vires tanti Martyris imploret auxilium. Symbolicas ejusmodi picturas pingit à Christianis olim conservasse sat[is] docet Eusebius in vita Constantini Imper.* S. verò Georgius in Lydda civitate quæ olim Diospolis dicebatur martyrium consumavit, de quo jam supra notatum est.

Baron.

Euseb. l.3.
8.3.

CAPUT

C A P U T VII.

De Tripoli Syriæ civitate.

Tripolis Syriæ, vel ut vulgò dicitur Soriæ, urbs maritima, distans à Beryto tribus miliaribus, in amoenissimo & fœcundissimo solo posita, publicum & celebre est emporium, & ideo omnibus ferè bonis affluens. Ipsum nominis etymon magnificen-tiam ejus loquitur & vastitatem, quæ utpote à monte Libano usque ad mare extendebatur. Tripolis idem est quod Triurbs. Qua-rum una fundata erat sub Libano, cui proxima erat, & flumine indè descendente alluebatur. Secunda sita erat in planicie. Ter-tia verò ad mare, quæ nunc tantumodo ad portum maris aliquas turres continet, armatas tormentis bellicis. Secundæ vix indicia apparent. Prima talem qualem formam primævæ structuræ retinet; multumque est populosæ, castellō provisa, cujus gubernium ad Bassam pertinet. A Mauris plerūmque inhabitatur, sunt ta-men & ibi aliæ Christianorum nationes, ut Maronitæ, Consul cum mercatoribns gallicæ, & aliæ gentis. Nostrum hospitium optimâ provisum est aquâ, quæ per canales ducitur; PP. Jesuitæ & Capuci-ni ibidem existunt, Patrésque Carmelitæ ex monte Libano frequentius ad eam descendunt. Præter diversas fontanas, per me-dium Urbis, magno impetu rapitur fluvius dictus, ex monte Liba-no descendens. Hic septem annorum concessæ sunt Indulgen-tiæ. Agit de ea pluribus Adrichomius in locis exteris num. 30.

C A P U T VIII.

De Monte Libano.

Ad orientalem plagam à prænominata Urbe Tripoli sumit radices suas Libanus seu mons Libani; qui in sacris pagi-nis celeberrimus est, altissimus & dignissimus inter montes terræ promissionis. Hinc saepius S. Scriptura, ad aliquid excellens & magnum commendandum, Libani nomine, & Cedrorum ejus uti-tur similitudine. De eo D. Hieron. inquit: Libanus mons Phœ-nices altissimus est, inter Judæam & Syriam; & in illius Septem-trionali S. Hiero,
de loco
hebr.

trionali plaga, secundum Cosmographos, ubi est Phœnicia. Pro-

Strabo
l. 16.
tenditur hic mons, ad montes Trachones seu Trachonitas, ultra Da-

Plinius l.
15. c. 20.
mascum, quasi ab Occasu in Orientem: quod spatium 150. tantum

stadiorum facit (stadium autem eodem teste lib. 2. c. 23. continet

sexcentos & viginti quinque pedes) fortassis quod Libanus nomen

suum eò usque retinebat. Nam aliàs juga sua latius diffundit, &

alios colles, etiam fertiles sibi copulat: ex quibus sunt Baalgad,

qui est supra Panium seu Cæsaream Philippi in principio montis.

Libani, Hermon & Trachones montes, & Galaad & reliqui; quod

Jerem. 22. & Jerem. testatur cùm ait: *Galaad tu mibi caput Libani.* Unde alio-

Num. 34. rum judiciò amplitudo ejus in gyro ad spatium 20. milliarium ex-

currit altitudo verò in tantum excrescit ut mons altissimus nomine-

tur, sive ut habet hebraica veritas *Hor Hor id est mons montis.*

Hic mons rursus dividitur in Libanum & Antilibanum, ille editissimus,

Cedris, abietibus Cypressis, & platanis insigniter viret: Anti-

libanus minor, sed fertilior est: inter quos sita est Cœlesyria, seu

terra Emath. Libanus mons definit ad promontorium, quod dici-

tur facies DEI, sive Theoprosopon Græcis, à Tripoli sex millibus

passuum Antilibanus definit apud Sidonem, ab urbe duobus mil-

libus passuum; & continuatur Libano per tractum littorum. Et

ab hoc monte Libano propè Panium labitur Jordanis ex duobus

fontibus Jor & Dan, uno millari inter se distantibus: Jor ab Oriente,

Dan verò ab Occidente, modò à nobis explicatò, & superiùs

datò. Libanus mons ascensu difficillimus, ex parte secundus,

abundat arboribus fructiferis, non tam fructiferis, sed optimis vi-

neis, ex quibus vina generosissima colliguntur. *Memoriale ejus si-*

cuit vinum Libani. Colligitur etiam in eo frumentum, nam multis

vallibus & multa planitie abundat; sed & ex parte sterilis est, ob

nimirum frigiditatem & nivium copiam, quæ à fronte eminentio-

rem montis partem operiunt úque ad mensem Julij: Augusto,

enim & Septembri fluunt ac resolvuntur, ac ideo præter fontes,

ex ipsis etiam resolutis nivibus ferè ubique affluit aquis frigidissi-

mis. Et licet à fronte tantâ copiâ nivium incanescat, in vertice

tamen in delitosam planitatem dilatatur, quæ singulis annis semi-

natur, nec non pinguisima pascua jumentis præbet: in medio ha-

bens capellam, & ad ejus caput puteum, juxta quem pruna sylve-

stria,



stria, & diversi generis fructus crescunt; arbores item Cypressi,
Platani, &c. Quæ in monte Libano invisuntur à peregrinis, et si
complura sint, primum tamen locum sibi vendicat Ecclesia Patriar-
chalis Maronitarum. Sunt quidem in diversis montis libani lo-
cis, diversa Eremitoria, quæ Conventus appellant Maronitæ, ut
S. Petri, S. Antonij, in quibus degunt aliqui ipsorum Monachi,
sed præcipuus Conventus & Ecclesia est, ubi moram facit Patriar-
cha Maronitarum cum suis Monachis. Locus vocatur *S. Maria*
de Canobin. Ecclesia & Conventus hujuscemodi sunt in satis
eminenti loco montis: illa est satis ampla & commoda respectu
aliarum; juxta & circa ipsam sunt variae habitationes pro Patriar-
cha, ejus familia, Monachis & peregrinis. Iste parent summo Ro-
mano Pontifici, quem maximè colunt, & Ecclesiæ Catholicae
sunt addictissimi; & ibi Catholico ritu, et si chaldaico idiomate,
die nocturnaque officijs & sacrificijs DEUM colunt, in cordis simpli-
citate. Et licet aliquando incolæ montis Libani, Turcarum ad-
veniente potentia in fide catholica nutare cœperint, ope tamen di-
vinâ, labore & vigilantiâ venerabilis servi DEI Christiani Flandri-
ci, Ordinis nostri Religiosi, in ea confirmati fuere, quam usque
ad præsens fortiter asserunt, quorum etiam Patriarcha dictus P.
Christinus postmodùm factus est. Villæ seu pagi (quorum cir-
citer quadraginta numerantur, cum totidem fermè millibus homi-
num) gaudent commoditate Ecclesiarum, & libertate exercitio-
rum fidei Catholicae omnimodâ, ita ut etiam usum campanarum
habeant, ut in partibus Christianorum, qui alias in his Orientis
partibus nec videtur nec toleratur. Omnes in monte Libano fe-
rè Maronitæ & Christiani sunt. Extra monasterium ante januam,
est cella, seu capella, sepulturæ Patriarcharum deputata. Et esse
fertur locus, ubi sancta illa poenitens & Virgo Marina, habitu mo-
nachi, à filia bubulci infamata, quod ex ea stuprò filium genuisset,
poenitentiam egit: & post felicem ejus transitum, calumnia impu-
dicæ mulieris, & castæ Virginis eximia virtus detecta est, atque ipsa
honorificè tumulata fuit. Ejus res gestas, miram humilitatem, &
in tolerandis persecutionibus & laboribus constantiam & patien-
tiam require in Vitis Patrum lib. 1. Illius corpus Venetas trans-
latum est, ut in Martyrologio Romano ponitur die 17. Julij, &

ab alijs Scriptoribus. Villa autem ubi dicta filia bubulci ab alio corrupta, detraxit honori S. Marinæ, Torza nominatur, semper miserabilis & egena; crediturque in poenam esse, ob tam gravem calumniam in Sanctam confictam.

C A P U T IX.

De Cedris Libani.

Cum fama Cedrorum, præ alijs lignis Libani celebrior sit, & à peregrinis singulariter visitentur, & ab omnibus præcipue æstimentur, ipsæ solæ in præsentia in considerationem veniunt. Cedrus itaque laudatissima arbore est, magnitudine incorruptibilitate, & virtute medica, cuius liquor conserit ad pollinctorum mortuorum corporum, nè corrumpantur. Cedrorum Libani præcipue mentio fit in sacris litteris, quas Hiram Rex dedit Salomoni pro fabrica templi Domini, & Reginæ suæ ædificatione, & quidem tam copiosò numerò, ut Cedros quasi sycomorus, qua nascuntur in campis multitudine magna. **¶** Paralip. c. I. Jerosolymis videre fuerit. Haec arbores, singularis molis & proceritatis sunt, ut annosiores, vix quatuor hominum brachijs circunplecti valeant; inter alias una, reliquis excellentior, meritò principatum tenet, quæ à stipite suo, per ascensum duodecim brachijs dimensa, & verentibus suis ramis se diffundens, elegantissimam efformat coronam, & ulterius sex circiter brachijs mensurando, alteram strictiore, paulò altius tertiam, & sic procedendo in gratiosissimam pyramidem terminatur, folia habens rosmarino fere similia, longiora tamen & densiora, sempérque virentia. Fructus seu strobili Cedrorum crescunt admodum pinorum italicorum, quos pignoli vocant, hanc tamen differentiâ, quod non, ut alij fructus, suis petiolis deorsum à ramis propendeant, sed sursum erigantur. Cedro Libani Sacratissima DEI para ob eminentem sanctitatem, virtutum præstantiam, & incorruptam fœcundamque virginitatem comparatur, ejusque nomine sancta Ecclesia recitat illa verba. *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano.*

**3. Reg. c. 5.
2. Paralip. c. I.
3.**

Ecli. 24.

CAPUT



C A P U T X.

De Magna Cairo, præcipua Ægypti civitate.

Cum frequentiū curiosus Lector, illustrium Orbis Urbium mentionem fieri audiat, & præcipue ob amplitudinem suam, multūm deprædicari Cairum Ægypti Urbem, visum est & mihi ex Palæstina transferre calamum in Ægyptum, ut toto Orbe celeberrimæ hujus Urbis, aliquam notitiam capiat. Cajrus ob portentosam sui molem vulgo *Gran Cairo* sive magna Cairus dicta, civitas maxima, & populo numerosissima est. Hujus ambitum nonnulli aestimant 30. milliarium italicorum, seu 6. germanicorum, quamquam Ludovicus Romanus, urbem Niloticam appellat, & dicat, *Ludo vi-* quod ubi eam licuit inspicere, reperta sit, sanè fama longè inferior, *cus Rom-* nî suburbanos agros, qui viciis propè innumeris disperguntur, ipsi *l. 1. navi-* urbi accensere velis. Hæc Civitas metropolis & Regia est Ægypti, à parte aquilonari, supra Nilum, in plaga Australi terræ promis-*de Cayro.* sionis fundata, publicum & celeberrimum est emporium: ad eam enim ex India per mare rubrum, ex Gallia & Italia per mare mediterraneum, & ex Syria plurimæ inferuntur merces. Habitatur à Turcis, Græcis, Armenis & alijs schismaticis, nec non à Gallis, & alijs nostris mercatoribus: omnibus ferè rebus abundat, & magna ibi cum libertate vivitur. In ea dicuntur reperi 24. millia platearum, in quibus videre licet tam alta, & eminentia ædificia, ut aliqua octo, alia sex contignationibus, ex latere cocto constructa, con- stent. Portæ, per quas ad spatiolissimam hanc urbem intratur, numerantur quatuordecim; populus verò tam copiosus, ut ejus ad quatuor milliones & quinque centena millia ordinariè, imo interdum ad quinque milliones suppurretur. Annô Domini 1619. peste hanc Urbem vastante spatiō unius mensis cum dimidio, absimpta fuere circiter quadringenta millia hominum. Ita scripsisse Patriarcham Alexandrinum Græcum, ejusque litteras Jerosolymis se leguisse restatur noster Quares: qui & addit: postea morbo cessante (quod ordinariè accidit in festo S. Joannis Bapti-*Quares:* stæ) post alios duos menses, se à fide dignis intellexisse, nongen-*Tom. 2. 8.* tta millia è vivis deceisisse. Et nihilominus cum paulò post eò *c. 3. Elu-* pervenisset Quaresnius, affirmat se tantam populi invenisse fre-*cid. Terra* quen-

quentiam, ut neminem è vivis deceſſisse ſibi facile quis perſuadere potuifet. Cairi duodecim millia lectrissimorum militum, pro præſidio imposta ſunt, quam etiam ſeptemdecim Sangiachi ſeu Gubernatores diversarum provinciarum inhabitant. Moſchearum Cairus continent viginti quatuor millia. Diftat verò Cairus à ſancta Hierosolymorum urbe 137. milliaribus terronicis, iter per viam ſequentem peragendo. Jaffa ſeu Joppen diſtat 8. milliaribus, indè ſunt 47 Damiatam, hinc Alexandriam 43. iſtinc per Nilum fluvium Cairum 39. cuius incolæ de fortissimô ſibi glorian-
tur caſtello, quod ex parte urbis ſitum eſt, magnūmque & mirò artificiō elaboratum complectitur puteum, qui Joseph appellatur, quoniam illius operā, dum Aegyptum gubernaret, excavatus & conſtructus fuit, ut fert illarum partium communis traditio. Cui non obſtat, quod ibi non habitaverit sanctus ille Patriarcha, & quod nondum haec civitas fuerit aedificata, adeoque ipſe in Ta-
phnis, Metropoli tunc Aegypti habitare debuit, non obſtat inquam: nam non ſolum ſibi, ſed toti Aegypto conſulebat, unde illius di-
tus eſt Salvator: quare & ibi, & in alijs partibus potuit putoeos, horrea, &c, ſecundūm exigentiam, & locorum opportunitatem aedificare. Sed quis hanc Cairum novam aedificaverit, conditor ejus ſciri nequit. Qui tenent eſſe Memphim, dicunt a Minæo Aegypti Rege conſtructam, Josephus & Abulensis, à Cambyſe Rege Persarum, filio Cyri, qui forte in hoc non diſtingvunt novam à veteri Cairō. Quod verò haec ab invicem, & ab utrāque Memphis diſtinctæ urbes ſint probat Quares. In Cairo nova gaudent Patres noſtri hospitiō & miſſione, quemadmodum & in Cairo veteri, adjunctam habentes curam parochialem animarum.

Quæres T.
2, l. 8. c. 3.
Elucid.
Ter. 3.

Est autem Cairus antiqua, Urbs Aegypti ad Nilum, judiciō Quaresmij diſtans à Cairo nova itinere circiter duorum milliarium italicorum, ubi in tota ferē via, hinc indè domus, & magnorum aedificiorum cernuntur ruinæ. A latere viæ à longe, unius circiter milliaris ſpatiō, magna & ingentia monſtrantur aedificia, quæ veteri traditione, horrea Joseph appellantur. Licet enim hic sanctus Pro-Rex Aegypti, plura in alijs provinciæ locis & Urbibns conſtrui fecerit, præ notione nempe ſpiritū cognoscens ſepten-
nalem frugum ubertatem, & ſequentem ſeptem annorum famem, Pharaoni in ſomniſ ſub ſchemate ſeptem boūm pingvium, & ſe-
ptem

ptem macilenterū, septem item spicarum plenarum, & totidem flac-
cidarum, exhibitam, cùm tamen aliorum nulla amplius fortè extet
memoria, vetustate consumpta, ac necessitate illorum cessante, non
sunt reparata: ista verò recensentur singulariter, vel quòd præcipua
fuerint, vel quòd magis nota, & non ita vetustate consumpta. Cai-
rum veterem Abulensis & alij Babylonem Ægypti nominant, quam
condidit Cambyles Rex Persarum, filius Cyri, postquam illa Baby-
lon in Chaldæa, de qua erat Nabuchodonosor, destruxta fuit, volens
enim manere in Ægypto, & constituere ibi caput regni, hanc Baby-
lonem vocavit. Hanc pariter pij fideles visitant, ut locum præsen-
tiâ Salvatoris, ejusque Matris ac Nutritij, consecratum venerentur.
Est autem Ecclesia eo loco constructa, quem incolebat hæc sacra-
tissima familia, dum in Ægypto peregrinaretur, hæc pertinet ad Ja-
cobitas, in qua Quaresmius asserit se cum alijs ad altare DEO facri-
ficâsse. De ista Ecclesia etiam testimonium perhibent vetera ma-
nu scripta, Archivij Terræ sanctæ. Abul. citatus aliud memoria di-
gnum apud hanc Cairum refert dicens: *Juxta cairum est quædam*
arbor palma antiquissima, quæ B. Virginis in Ægyptum intrans se incli-
navit, ut dactylos inde colligeret, & iterum se erexit: idololatrae viden-
tes, succiderunt eam, sed nocte sequenti consolidata est & erecta, & appa-
rent adhuc incisiones in ipsa. Hæc ille

Abulensis
in Mæt. 2.
quæst. 60.

CAPUT XI.

De Villa Matharea.

POst impensam veneratiohem loco sacro apud Cairum vete-
rem, proficiscuntur pij fideles ad locum alterum, quem Sancti
illi hospites, pariter suò sanctificârunt incolatu, nempe ad villam
Mathaream sic diætam. Hæc referente Quares: sita est inter Helio-
polim & Babylonem Ægypti, decem milliaribus italicis distans à
Cairo, via tota planissima. Locus, ubi patrio solô Sanctissimi exiles
JESUS Maria Joseph, morabantur, & qui venerationi habetur, est au-
lia spatiosa, intra quam est aqua, quæ ex fonte extra ipsam pro-
fluit. Illam restaurârunt aliquando pij mercatores Veneti. Ve-
lut in Ecclesia supra parvum lapidem missa celebratur: ante altare
est fenestrella seu armariolum, dolato marmore porphyretico
vesti-

Quares.
Tom. 2. l.
8. c. 7. Elu-
cid. Ter. 5.

vestitum; & in eo loco reverentiae causâ collocatum, supra quod B.
Virgo dulcissimum puerum JESUM reposuisse, vel etiam pannicu-
los lavisse, vel exsiccâsse, traditio est. Extra dictam aulam vel Ec-
clesiam fons est, quem unicum esse in tota Ægypto vult Princeps
Radzivilius, ex quo aqua per rotam hauritur, estque dulcissima, &
fons JESU appellatur. Propè est antiquissima, & pulcherrima
arbor Sycomorus, communiter ficus Pharaonis dicta, quæ magnæ
venerationis est; & pietatis intuitu, peregrini frustula ex ea scissa.
velut sacras observant reliquias: quoniam ut veteri fertur tradi-
tione, & plurium Authorum testimonio, sacræ illi societati se in-
clinavit: & cum milites persequerentur aperuit & reclusit se, &
suo cortice recipiens piissimam Matrem cum favissimo parvulo,
Josephò interim de hospitio solicito, eisdem latibulum præbuit;
& iterum cum milites pertransiissent, se aperuit, & reclusit, &
usque in hodiernum diem aperta remansit, intra cujus fissuram
Turcae appensas solebant habere lampades. Addit Quaresmius:
an vera hæc sint, me latet, illud tamen scio, similia in historijs legi,
& ex alijs à nobis dictis, firmari posse videntur.

TRACTATUS XV.

IN suis capitibus complectens quasdam rationes sive considera-
tiones, quæ S. Franciscum vel ejus sacrum Ordinem respiciunt,
quare hic inter cæteros Ecclesiæ sanctæ Ordines destinatus sit ad
custodiam locorum Terræ sanctæ. Bullas item pontificias con-
cernentes eleemosynas pro conservatione locorum Terræ sanctæ
à pijs fidelibus quoquonam modō deputatas. Privilegia item, Indul-
ta & gratias à sede Apostolica Guardiano Hierosolymitano seu
Sacromontis Sion concessas.

CAPUT I.

Considerationes singularis electionis à DEO,
Ordinis Seraphici ad Custodiam Sanctorum
locorum Palæstinæ.

N Olim hic reconditos divinæ Providentiae scrutari fines, sva-
viter

viter omnia & fortiter, pro majori Nominis sui gloria disponentis,
cur pretiosa Redemptionis nostræ monumenta Fratrum Minorum
custodiae & conservationi privilegiata quadam electione commi-
serit, & singulariter Thesaurarios constituerit illorum cimeliorum,
quibus Regum gazas excedens Christianitas, pretiosiora sub so-
le non habet: ut inter florentissimas Reipublicæ Christianæ Reli-
giones, quâ sapientia & potentia, quâ antiquitate & dignitate re-
fulgentes, unipusillo Beniamino Francisco, & pauperi Religioni
ejus, quinque partes excedens portio in funiculo distributionis
Terræ sanctæ obvenisse videatur; eos præcipue spectando Reli-
giosos Ordines Orientales, qui olim Terram sanctam incoluere, &
plurima Loca sacra sui juris habuere, & tandem Mahumetanorum
ferociâ ijs pulsi, nec usque modò in eorum solidam possessionem
restituti sunt.

Advero igitur primò, DEUM ad custodiam eorum locorum,
quæ Unigeniti Filii sui meritis illustrata, & sanguine rigata fuere,
Seraphicum Ordinem præcipue destinasse, ut omnes intelligant
opus hoc esse dexteræ Excelsti, divinaque à DEO ipso, non huma-
nâ gubernari sapientia & providentia, qui per minima operatur
maxima, & per contemptibilia facit mirabilia solus. Quomodo
in manus Moysis prodigiorum suorum instrumentum, quæ factu-
rus erat in terra Aegypti contra Pharaonem, non ponit acutum fer-
rum, gladium aut lanceam, sed exiguum virgam, & contra Goliath
non robore validum bellatorem, sed imbellem in prælium educit
pastorculum, nec per manus ejus utitur fulmine trisulco, sed fun-
dâ & baculo, nec per Græciæ Sapientes, sed illiteratos pescatores
in obsequium fidei curvavit Imperia: sic ad conservationem loco-
rum sanctorum Palæstinæ contra potentissimos Christianitatis ho-
fles, Frates elegit Minores, ut per eos evidentiū divinæ suæ vir-
tutis pateret operatio, non humanæ potentiae, sed solius DEI pro-
videntiae attribuendum esse, quidquid per pusillum gregem Mino-
riticum de locis sanctis in Terra Promissionis possidet Christiani-
tas. Hoc admirabile DEI propositum pleniùs, digessit S. Paulus
dicens: *Quæ stulta sunt mundi elegit DEUS, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit DEUS, ut confundat fortia. & ignobilia & contem-
ptibilia elegit DEUS, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut* non *1. Cor. v. 12.*

A a

non gloriatur omnis caro in conspectu ejus. Gloriari autem interdum posset typho superbiæ intumescens humanæ carnis præsumptio, quasi manus eorum excelsa & non Dominus fecerit hæc, si possessioni potentium hujus saceruli illa sacratissima loca tradita forent; qui suâ illa defendi potentia, gubernari sapientia, conservari opulentia, & non singulari DEI tueri Providentia, sibi arrogare possent: ut ergo soli DEO præstetur honor & gloria, complacuit ei, parvulis pusilli Minoritici gregis illius Regni tradere sacraria, quæ per semetipsum sanctificare dignatus est Unigenitus Filius ejus. Ut videns Mundus hæc sacratissima vitæ & mortis ejus memorialia, DEUM in manus talis posuisse Religionis, quæ nullis opibus sed solâ dives est penuriâ, mirabilem ejus agnosceret dispensationem, quod ipse solus sit, qui per agnorum innocentiam, Terram Redemptionis nostræ potens est protegere contra tot luporum potentiam. Unde licet & hic usurpare illud, quod de novæ Religionis suæ profectu anxiò Francisco respondit Dominus teste S. Bonaventura: *Hominem simplicem ad hoc te constitui, ut quæ in te fecero, non humanæ industrie, sed supernæ gratia adscribantur.*

Decuit secundò, ut in custodes illorum locorum, in quibus nasci, vivere, & mori dignatus est Dominus in altissima paupertate, profundissima humilitate, omniumque virtutum excellentissima perfectione, Alumnos ejus Religionis adscisceret, in qua similes virtutæ ipsius concurrerent qualitates. Quisnam autem Christo Crucifixo conformior fuit inter Sanctos Beato Francisco? qui in stabulo natus, in monte Alvernæ crucifixus Christo, signatus ab ipso Redemptore signis Redemptionis nostræ, quinque nempe sacris stigmatibus, in carne in corrupta etiamnum speciem exhibens Resurrectionis dominicæ, cuius veritatis testimonia etiam pontificis oraculis credibilia facta sunt nimis, ut mittam alias plurimas conformitates Francisci ad Christum, quæ plurimum scriptis pertractantur Authorum. Quæ etiam inter Religiones militantis Ecclesiæ conformior vita Christi, quæ in ejus humilitate profundatur, in obedientia conformatur, in castimonia sublimatur, in paupertate expropriatur, in patientia probatur, in charitate dilatatur, in sola Cruce Christi gloriatur, ut non immerito Benedictus Accolitus à Christianis contra Barbaros gesto, pro sepulchro Christi & Ju-

S. Bonav.
in legenda
e. 8.

Bened. l. 4.
de bell. Ju-
daicon. 33.

dæ

dæa recuperandis agens de monte Sion dixerit. In ipso mon-
tis cacumine turris est vetus operis, quondam David appellata, qua pro-
arce Barbari utebantur: ades etiam Divi Francisci, quo in loco multi
homines sc̄tam ejus & mores secuti, castè integrèque vixerunt, quamvis
inter medios Barbaros fidei hostes versarentur. Quod annuisse DEUM
crediderim; ut sicut author hujus Religionis Christo similior vita fuit, sic
ad solis posteris ejus, post res perditas Christianorum, ibi sacra ritè fierent,
undē salus hominum prodijt. Cum itaque ut vulgo dicitur, simili-
tudo morum, mater sit amorum congruum fuit, ut DEUS specia-
liori adhuc modò suum testaretur amorem erga servum suum Fran-
ciscum & filios ejus, quos ad Crucifixi magis conformem similitu-
dinem, à Christo dictata, à S. Patre filijs suis tradita Regula arctius
adstringit; ut induentes Dominum JESUM Christum, mortifi-
cationem JESU in corpore suo circumferentes, vita JESU mani-
festetur in corporibus & eorum carne mortali. Regionem pro-
inde illam, in qua vivere, conversari & mori dignatus est omnis
perfectionis Magister, in singularis amoris testimonium tradidit
Custodiae eorum qui vitam Christi imitari, & sanctum Evangelium
observare profitentur, ut tanquam hæredes vitae Christi, hæreditate
quóque possideant Sanctuarium ejus. Et quemadmodum
pro sustentatione totius Ecclesiæ Franciscus cum suo ordine à
DEO electus fuit, ut in visione quadam Innocentium Tertium edo-
cuit Dominus, dum ad casum inclinatam Ecclesiam Lateranen-
sem à paupere Francisco sustentari Christi Vicarius vidit; sic velut
columna ad sustentaculum pariter cum suo Ordine S. Franciscus
destinatus est, qui inter Barbarorum licentiosos & crudeles au-
sus, verbō & exemplō, ac pio à fidelibus eleemosynarum oblatō
subsidiō, sacra illa Christianitatis Pergama à totali servaret exci-
dio, nè funditus per homines barbaros perirent, ubi salutem ho-
minum operatus est Dominus.

Accedit huic tertio, Minores Fratres admissos fuisse ad in-
habitandum Civitatem sanctam & loca sacra Palæstinæ, ut ibi sem-
per perennet vivum & perfectum exemplarum vitae Apostolicæ & pri-
mitivæ Ecclesiæ, veterumque Christianorum, ac similitudo cœle-
stis, in terrestri Jerusalem. In primitiva Ecclesia non solum Jero-
solymis: multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec

Aa 2

quis-

*quisquam eorum quæ possidebat, suum esse dicebat, sed erant illis omnia
communia.* Sed adhuc hac credentium multitudine perfectior
erat Apostolorum congregatio, quæ nullius rei dominium habe-
Baron. ad bat, tam in communi, quam particulari. Lege Baronum. Et ideo
an. Chri. eodem Actuum Apostolicorum capite dicitur, quod possessores
34. n. 167. agrorum & domorum, vendentes afferebant pretia eorum, quæ
vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, & non ad manus eorum; quia ipsi præ cæteris à temporalibus elongati, non solùm dominium, sed & ipsum usum pecuniæ aspernabantur. Unde
glossa ibi ait: *Destruendum probat, quod tangere devitat, & calcan-
dum docet aurum, quod subdit gressibus, Apostolorum, in quorum per-
sona Petrus ad litteram dixit, ecce nos dimisimus omnia.* Et iterum
Act. 3. claudio ad portam speciosam Templi, argentum & aurum non est mihi. Et ut modus ille vivendi in communi, repræsentabat communem Religiosorum vitam, & cœlestem patriam (*qui ita vivunt in-
quit glossa Bedæ, ut sint omnia communia in Domino, Cenobiti & vocantur,
quæ vita tanto est felicior, quanto statum futuri seculi imitatur, ubi om-
nia communia, quia DEUS omnia in omnibus*) ita ratio vivendi Apo-
stolorum, exemplar erat Instituti Minorum, quod omne prorsus
dominium ab illis amoget, ut sint solo usi facti contenti, domi-
niō & proprietate semper remanente penes ipsos dantes, nec aliter
se verus frater Minor & S. Francisci filius ad res oblatas & vocatio-
ni sua licitas, quam avicula ad pabulum sibi datum habet quod
nutritore suo favente in ejus usum cedit, & non concedente, &
nondum consumptum subtrahente, in potestate & proprietate
ejus remanet: sic pariter intellige de paupertate Fratrum Mino-
rum, quam fusi explanant in suis Bullis summi Pontifices, Gre-
gorius IX. Nicolaus III. Clemens V. & alij. Et typus insuper
Jerusalem cœlestis & terræ viventium, in qua non est meum &
tuum frigidum illud verbum, sed omnes DEO unanimiter per-
fruuntur. Igitur quemadmodum aliqui Religiosi sunt Jerosoly-
mis in communi viventes, sive Schismatici sint, ut Græci, Armeni,
&c. sive Catholici ut Maronitæ, ita decuit ut essent etiam Reli-
gioosi Apostolicæ perfectionis vestigijs inhærentes, qui nihil pro-
prij possiderent nec in communi, nec in particulari, quales sunt
Card. Vi-
riacus. Fratres Minores; ut meritò Cardinalis Vitriacus in fine Epistolæ
ad

ad Religiosos & familiares Lotharingos de Religione Fratrum
Minorum dicat: *Expresè imitatur formam primitivæ Ecclesiæ, & per
omnia vitam Apostolorum.*

Quartò disposuit prætereà DEUS Fratres Minores inter Pa-
læstinæ & aliarum Regionum infideles habitare, ut per eosdem
ad salvificam fidem convertereatur. Ea enim est DEI Optimi Ma-
ximi in rebus gubernandis, & præcipua salute hominum procu-
randa, providentia, ut omniā fortiter svavitérque opportunis me-
dijs dirigat & disponat, & eos, qui non sunt de suo ovili adduce-
re procuret. Commune verò & opportunum medium conver-
sionis Infidelium ad fidem & Religionem Christi, est fidelium apud
illos habitatio, mansio, & conversatio, quoniam hōc pactō eorum
captatur benevolentia, dociliorēsque redduntur ad agnitionem
veritatis, fidelium verbō & exemplō. Unde Apostolus dicit: *Rom. 10.*
*Quomodo audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt nisi
mittantur? & ipse Doctor Gentium longiorem multis in locis,*
mansios & prædicationis suæ faciebat moram, ut patet in Acti-
bus Apostolorum: ut ipso conversationis usu promptiores redde-
rentur gentes ad audiendum verbum salutis, & sermo Domini
magis diffamareretur inter eos, qui ignorabant DEUM. *Quomo-
do & in veteri Testamento ex conversatione Israëlitarum cum*
Ægyptijs, multos ex his ad Judaismum conversos & salutem con-
secutos esse, legimus. *Sed & vulgus promiscuum innumerable ascen-*
dit cum eis, nempe Judæis, dum egredierentur de Ægypto, quia
multi de Ægyptijs videntes signa & prodigia, quæ DEUS fecerat
pro Hebræis, junxerunt se eis, & convertebantur ad legem Moysi,
ut in hunc locum dicit Lyranus & alij. Et sanctus ille senex To-
bias, reddens rationem dispersionis Judæorum inter gentes, dicit:
Confitemini Domino Filij Israël, & in conspectu gentium laudate eum:
quoniam ideo dispersit vos inter gentes, quia ignorant eum, ut vos enarre-
tis mirabilia ejus, & faciat scire eos, quia non est alius DEUS Omnipo-
tens præter eum. Operā quoque puellæ hebrææ à Syriæ latrun-
culis captæ, conversus est Naaman ad Dominum, cùm ei indicā-
set gratiam sanitatum, quā ornatus erat à DEO Elisæus Propheta.
In novo Testamento misit Christus Apostolos suos in universum *Tob. 13.*
mundum ad prædicandum Evangelium, císque præcepit, ut ma-
nerent *4. Reg. 5.*

Luc. 10. nerent & manducarent apud illos, quibus prædicaturi erant. Cùm ergo Ordo Seraphicus à DEO destinatus fit non solum in salutem fidelium, sed etiam ad infidelium conversionem, vocationis suæ prosequendo institutum, alumnos suos tanquam agnos mittit inter lupos, ut eorum mansuetudine & humilitate ferocia Barbarorum corda svaviter leniantur, & votis humanis contraria vivendi consuetudine, fortiter quoque ad Ovile Christi attrahantur: videntesque in ipsis Mundi contemptum cum omnibus divitijs & delicijs, intelligent eos non querere quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi. Et quemadmodum Apostoli, postquam in Judæa, ab I^{DE}US notus erat prædicaverunt, & dehinc ad prædicandum Christi Evangelii ad gentes conversi sunt, ita Minorum Ordo non solum institutus est, ut fidelibus annuntiaret pœnitentiam, sed etiam infidelibus evangelizaret fidem Christi. Adeoque eorum habitatio & conversatio inter Barbaros, ordinatur ad profectum & salutem eorum, ut verbis prædicationis instrui, & vitâ Evangelizantium valeant erudiri. Quæ profecto sicut Turcarum & aliarum gentium morum consuetudini, & vivendi rationi ex diametro opposita est, ita frequenter vehementiores stimulos ad conversionem addit. Sacramen^{tum} auri famem, quam avidissimo illi animo tollit, rerum omnium expropriatio tollit in Religione Seraphica, ut ejus peculium solum sit I^{DE}US & cum eo omnia. Libidinosis Hymenæi Thalamis, quibus amore ardentissimo gens illa copulatur, solennem libellum repudij semper dedit professio Minoritica, proponens se Thalamū in dilectio non habiturum, & non nisi sponsum cum, qui pascitur inter lilia. Honorum titulos, quos regnandi inflatus arrogantia, magnaque usurpat violentia populus ille ambitionissimus, humilitatis legibus areet status minoriticus eligens abjectus esse in domo DEI, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ut quoddammodo hac morum Antithesis I^{DE}US videatur statuere voluisse arcam quandam sanctificationis suæ inter Barbaros, ut corrueret infamis ille Dagon tam licentiosæ virtutæ, verbô & exemplô Fratrum Minorum; ipsique in medio nationis pravae & perversæ habitantes, lucerent sicut luminaria in mundo, illuminare atque sedentes in tenebris & umbra mortis, ad dirigendos pedes in viam salutis & pacis, & ad videndos laqueos illos, quos per carnis illecebras, cum deplorando animarum dispensationem.

spendio, dolosa excogitavit Mahometi astutia. Unde & sit, quod
& ipsi inimici Crucis Christi, hanc vivendi normam Religiosam
venerationi habeant, mirabilique sit apud illos, paupertas, casti-
tas, pœnitentia, arcta ad invicem charitas, aliæque Religiosi ho-
minis virtutes, ita ut etiam dicere soleant: Franciscani sunt boni.
Simile quid auribus suis audivit meus in Albaniæ Missionibus
Collega P. Bonaventura de Sabaudia, modò Missionum ibidem
Præfectus. Bassa enim in Civitate Scutarense, aut de sua secta du-
bius, aut nimium de suis concubinis sollicitus, prospiciensque per
fenestram, quæsivit ex suo Dervis, quod nomine censemur Religiosi
Turcarum, & quod utpote domestico familiariter utebatur; di-
cens, ubi mulieres nostræ post mortem erunt? Credunt autem Al-
banenses nullam mulierem ad cœlum intraturam, ubi DEUS &
Mahometus est sed in atrio solum collocandas, quod & intrabunt
singuli cujuscunque sectæ vel fidei homines, qui laudabilem egere
vitam, viros verò solos & observatores legis Mahometricæ cœlum
empyreum subituros, quod DEUS & eorum incolit Pseudo- pro-
pheta) respondit Dervis quæsitis Bassæ, in atrio erunt. Bassa vi-
dens transiuntem dictum Patrem Missionarium, convertensque se
ad suum Pseudo - Monachum quærerit, & isti fratres quorsum ve-
nient? respondit, isti sunt etiam boni, venient post mortem ad
eundem locum seu atrium. Hinc apparet quæ sit existimatio vi-
tae probæ etiam quandoque apud pessimos, ut verum sit quod Sap.
dicitur: *Probata virtus corripit insipientes*, qui ad condemnationis *Sap. 1.*
suæ testimonium vel invitè opera virtutum laudare coguntur, estò
vitia secentur.

Decet quintò Minorum Fratrum ordinem in his habitare,
partibus ob altissimam eorum paupertatem: quoniam pauper ubi-
que regnat, & ambulans simpliciter, absque metu & timore habi-
tat confidenter, & quod accedit hospes, ipsa egestate perorante, re-
cipitur libenter paucisque contentus vivit. Itaque cum Ordo
Minorum sit talis, qui post aurum non abiit, nec sperat in pecuniæ
thesauris, paucisque contentus vivat, habens alimenta & quibus
tegatur, sine dispendio & timore ubique sustentari confidit. Quid
enim querat aliena, qui reliquit propria? Et Habitus noster reli-
giosus invisus non est, imò gratus, adeò ut & alij fideles cōinduan-
tur,

tur, ad multa declinanda incomoda, & ut benè illis sit ab ipsis infidelibus. Et quemadmodum Nabuchodonosor transfult, *onemem Jerusalem & universos Principes in captivitatem, nibilque relictum est exceptis pauperibus populi terræ.* Sic ubi potentia Othomannica sanctam Jerosolymorum Urbem, omnemque Palæstinæ Regionem suo adiecisset Imperio, nihil usque modò relictum est de Christianorum florentissimis familijs, exceptis Fratribus Minoribus, qui, quod armis & potentia tot Regum & Principum possideri non potest, solâ obtinent paupertate. Ut illud usurpare liceat, quod Dominus loquitur per Sophoniam, *& derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum, & sperabunt in nomine Domini: qui clypeus est inermis paupertatis, quô hucusque feliciter usa est ad conversationem locorum Terræ sanctæ, & defensa inter tot adversarii Religio est Seraphica.* Et iterum verificatum est illud Isaiae. *Conculcabit eam pes, pedes pauperis gressus egenorum.* Hoc nempe præmium est sanctæ paupertatis, amatoribus Mundi aliàs tantopere invisæ & exosæ, ut inter ipsos Barbaros gratiam inveniat, & de contemptu sui illustre ubique trophyum figat, tanto nobilius, quanto inter Cræsos, Iri lacerna nihil est ignobilius; DEO splendorem hujus virtutis extollente, quam ipse à præsepio ad Crucem usque adamavit, ut eam in Fratribus Minoribus, paupertatis suæ strenuis sectatoribus, intergentes etiam barbaras magnificare velit, ut ipsi tanquam nihil habentes, illa loca sancta per paupertatem sint possidentes: & cum his qui oderunt pacem pacifice vivant, dum nihil quod eorum tentare avaritiam & accendere cupiditatem valeret, in finu pauperum deprehendunt. Fideles enim saepe affligi, debellari, & de proprijs sedibus ejici ab hostibus & Infidelibus, propter divitias aliarumque rerum copiam & affluentiam, cui exterius maximè Barbari inhiant, experientia constat. Non habet ergo contra quod ferrum acuat Barbarus, dum in pauperibus ubique eget Christus, qui pro salva Guardia illorum locorum sacrorum, sibi dilectam posuit paupertatem, quâ tutius & securius servarentur, quâ opum affluentia, quâ funditus subverterentur. Quâ saepe causa est ut domestici possessores improbi & torpentes ex illarum abusu reddantur, & in vita diffuant, dûmque studiosius thesauros aggregant, ferro & cupiditati hostium viam monstrant,

4. Reg. 24.

Soph. c. 3.

Isaiæ 26.

strant. Quid enim inter alia vitia Urbe sancta Christianos ejecit,
nisi luxus & divitiarum copia, inque profanos ac sacrilegos usus
profusi sumptus, ut per Saladinum & Mahometanum exercitum
devicti ac tota Promissionis terra pulsi fuerint, sanguineisque la-
chrymis deplorandi occasionem dederint Ecclesiae, quæ usque mo-
dò sunt in maxillis ejus, videns Christianitatem Dominam quon-
dam gentium factam esse sub tributo barbarorum, & margaritas
projectas ante porcos, justoque DEI judiciò in potestate canum
positam nobilissimam portionem Christianitatis. Tolerabilius
enim est DEO, à gentibus quæ eum ignorant, quam à domesticis
offendi. Legatur Cardinalis Vitriacus, & Martinus fanutus,
qui inter alia ait: *Vidensque DEUS, quod multa malitia hominum
effet in terra, & cuncta cogitatio cordis humani intenta effet ad malum,*
omni tempore (Omnis quippe caro corruperat viam suam) tacitus dolore
cordis intrinsecus ait: ego delebo eos cum terra, inducensque diluvium
gentium immundarum, erabit de terra maleficos, & terram illam electam
& gloriosam gloriam sollicavit, sepulchrum quodquesuum accetera loca sacra,
tradidit inimicis Crucis suæ, dicens: puduit minus in peregrinis, quam
castris sordere meis. Hæc ergo loca sacra quæ de manibus divitum
Turcica extorsit potentiam, mirabili DEI dispensatione, nomine
sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Minoritica custodit paupertas, nec
eam ejicit Mundus, quoniam ipsa nihil possidet, quod querit Mun-
dus. Unde & Fratres Minores fiducialiùs atque securius inter
Ecclesiæ hostes agunt, quod longius à se amorem temporalium ab-
dicârunt, multaque declinant pericula, in quæ alij aurô onusti fa-
cile incident. Mahomentani enim advertentes aliquem deferre
pecuniam, eam quodquod modò per fas & nefas extorquent, ubi
nullam adesse sciunt, nullam aut raro aliquam inferunt molestiam,
quod & relatione fide dignorum, & magistrâ experientiâ didici.
Quando enim conductores eleemosynæ Terræ S. ex Joppen &
Rama cum Caravana Hierosolymam proficiscuntur, Caravana à
ministris Othomanis, telonei solvendi gratiâ, propè Castellum
boni Latronis dictum, firmatur, qui in singulos inquirentes, ubi ad
Fratres nostros veniunt, respondetur à Mucaris seu conductori-
bus *Mafiss flusz*, id est: iste non portat pecuniam, illi molesti non
sunt, & in pace abiare sinunt. Accidit simile quid P. Petro Anto-
nio

Vitr. c. 69.
& 70, in
bist. Hie-
rus. mart.
sanat 13.
Secret.
part. 8.

nio Venetiano mihi hæc referenti Anno 1701. qui Nazaretho Jérusalem vocatus fuit à Reverendissimo superiore 2. Januarij, veniens in comitatu ducentorum hominum diversarum nationum, utpote græcæ, Armenæ, Turcicæ Hebraicæ, &c utriusque sexūs, factōque medio itinere, improvisè adoriuntur à certis villanis Turcicis & Arabicis, qui firmata Caravana extorsere à peregrinis notabilem bursam de Medinis, solo illo Patre intacto relicto, scientes indubie professionem & statum ejus in paupertate fundatum. Ego idem & majori periculo expertus Anno 1710, Rama siquidem Civitatem sanctam versus profecti, intempestas noctis silentio cum Caravana ducentorum & ultra hominum, incidimus in prædones, vigilias agentes super explorato, uti solent, adventu viatorum, ubi quinque ex parte nostra occisi fuerunt, demptis vulneratis, & cum Caravanam nocturni illi grassatores intrassent, unus lancea ad ferendum sublatâ, me considerato præter vectus, alium confixit, Deo me protegente, & conservante illud, quod ex piorum eleemosynis Terræ sanctæ mittebatur subsidium. Anno eodem ex Civitate sancta Ramam versus rediens, ex castello *buon ladrone* exierunt equites juvenes, consuetum urgentes vectigal, cùmque omnes illud persolvissent, indixerunt per Turcimannum seu interpretem, & hanc mihi restare obligationem, qui responso dato *Mafis flus* me non habere monetam, aquieverunt verbo, proditus verò me gestare quandam cucurbitam, jussus sum illam promere. Turcimannus errorem committens in idiomate italicico, inclamans ait: devete dare capuzo, loco cucuca. Ego deposito Capucio illud exactoribus exhibui, illi in risum soluti, videntes nuda capitum & colli, utrumque & capucium & cucurbitam mihi reliquerunt. Taceo casum Anno 1706. prope portam Civitatis sanctæ, ad quam duro admodum imperio, clavâ armatus ferreâ seu ut vocant busdigan Genizerus marsupia excutiebat ingredientium ad solvenda vectigalia, in qua in humana exactione, infesta sors cecidit supra Sacerdotem Catholicum Don Paolo, qui vicibus tribus ferream illam persensit grandinem, nos verò Franciscani intacti sanctam intravimus Civitatem, experti melius protegere paupertatem, quam substantiam.

Ex



Ex quo consequitur sextò divinam bonitatem thesaurum il-
lum impreiabilem locorum sanctorum sanguine filij sui dedicatum,
& in pretiosum Ecclesiæ suæ relictum patrimonium, in manibus
pauperum filiorum sancti Francisci constituere, ut hōc mediō om-
nibus Christi fidelibus magni meriti campum, per pium & volun-
tarium eleemosynarum subsidium, aperret, cœlestiumque benedi-
ctionum occasionem præberet. Si enim loca illa pretiosa passio-
ne Domini consecrata, custodiæ commissa forent talium, qui re-
rum dominio & proprietate gauderent, qui opibus, potentia, di-
vitijs præstarent, profecto suis facultatibus & fortitudine ea con-
servari soli gloriari possent, totumque sibi vendicare meritum ex
conservatione dictorum locorum sanctorum proveniens; ut au-
tem bona pateat voluntas omnium Christi fidelium, piisque merendi
plurimis daretur occasio, eos in hoc pium obsequium DEUS dele-
git Religiosos, qui in subsidium Tributi Portæ Othomannæ pen-
dendi, per terras Christianorum, exemplò Apostolorum Pauli &
Barnabæ collationem in pauperes sanctorum, qui erant in Jeru-
alem per Macedoniam, & Achaiam & alias regiones facientium; de
alieno collectas facerent, & fiducialiū pios animarent benefa-
ctores, ut mente devota, & animō voluntariō pro facultatum sua-
rum modulō illis locis sacris auxilio essent, ubi pro totius generis
humani salute in preium redemptionis Unigenitus DEI Filius.
Patri suo æterno se obtulit victimam; devoteque fideles ex talium
eleemosynarum oblationibus, viderent merita sua sibi salva esse,
dum nihil ex his religiosa altissima paupertas sibi arrogat, sed be-
neficentiae eorum dictas eleemosynas in acceptis refert, & conser-
vationi locorum sanctorum ad assēm impendere facit. ut & iij, qui
cum paupercula illa vidua in Evangelio à Christo laudata, vel duo
æra minuta offerunt, mercedem suam apud Dominum repositam
habeant, in quo gloriari & consolari possunt, etiam sua quodam-
modo esse illa sacratissima loca, ad quorum indemnitatem de pau-
pere penula sua concurrunt. Fratribus interea loca illa sancta
incolentibus, in id intentis ut de beneficijs his, quoquā modō
eorum, & locorum sanctorum conservationi impensis, ipsi bene-
factores spiritualia metant, & suos manipulos referant, portione
æquā operā suā cum illis dividentes, quæ sive prædicatione Evan-

gelij, sive peregrinatione ad diversa loca sancta , sive administratione sacramentorum , sive orationibus, jejunis, meditationibus, corporis castigationibus , divinis officijs, continua hospitalitate peregrinorum, tribulatione à barbaris, aliisque bonis operibus merentur, ac si ipsi benefactores eadem operarentur. *Vides* proinde ait Magnus Gregorius: *Quanta sit eleemosynæ potestas: si quem alueris tuis impensis, proinde tibi ejus actiones adscribuntur, ac si illa omnia tuis operibus perfecisses.* Plures his rationabiles congruentias inveniet benevolus Lector apud Authores , qui unâ mecum magnificet Altissimum, qui respexit humilitatem fidelis servi sui Francisci, ejusque ordinem elegit & præelegit, ac in tabernaculo suo sancto, Terra videlicet sancta, habitare facit.

*Greg. hom.
20. in E-
vang.*

C A P U T II.

Præcautiones seu Bullæ summorum Pontificum, de eleemosynis Terræ sanctæ colligendis & tractandis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam,

Bullæ diversorum Summorum Pontificum, quilibet Prælatus in virtute Sanctæ obedientiæ tenetur ter in Anno commendare quæstus pro locis Terræ sanctæ, & excommunicantur excommunicatione Papæ reservatâ, omnes cuiusvis gradus, statûs, conditionis, & sexûs, qui Eleemosynas dictæ terræ sanctæ impec- diunt, derinent, alienant, usurpant, occupant, seu convertunt in alios usus quantumvis pios. Primô per Sixtum V. per suam Bul- lam, quæ incipit: *Nostrî officij Pastorales, &c.* 2dô per Pa- lum V. quæ incipit: *Cœlestis Regis qui pro humani generis Redemptione, &c.* 3tiò, per Gregorium XV. quæ incipit. Ex- posito, quod in diversis Christani Orbis Partibus , &c. 4tò per Urbanum VIII. quæ incipit: *Cùm autem sicut pro parte Vene- rabilis Fratris Egidij Patriarchæ Hierosolymitani, & dilecti Fi- lij Andreæ de Arco Ordinis Minor: S. Francisci.* 5tò per In- centium

„ nocentium X. quæ incipit; Salvatoris & Domini Nostri, qui
„ pro humani Generis Redemptione se ipsum exinanivit.
„ Et per Alexandrum VII. quæ incipit: Pius Christi fidelium vo-
„ tis, ex quibus Sanctorum Locorum venerationem, & animarum
„ salutem provenire conspicimus, &c. Tertio per Clementem IX.
„ in Bulla ejusdem tenoris Alexandri VIII. 8vo per Clementem
„ X. 9no per Innocentium XI. 10mo per Innocentium XII.
„ quæ est tenoris sequentis.

„ Salvatoris, & Domini Nostri, qui pro humani generis Re-
„ demptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mor-
„ tem, vices licet immeriti gerentes in Terris inter multiplices
„ gravissimæsque Apostolicæ servitutis curas, in eam præcipue Pa-
„ storialis solitudinis Vigilantiâ incumbimus, ut tanti & tam
„ salubris mysterij monumenta, quæ in Civitate Jerusalem, & Lo-
„ cis circumvicinis sunt, conserventur, & omni, quâ fieri poterit
„ majori honoriscentiâ recoluntur. Cum itaque alias fel: rec:
„ Urbano P. VIII. Prædecessori mostro exposito, quod Ecclesia-
„ stica, & alia loca pia in Civitate Jerusalem, & alijs Terræ sanctæ
„ existentia ferè diruta erant, & quæ adhuc ibi existebant Mo-
„ nasteria ære alieno ob impiam Turcarum, Hæreticorum & Schif-
„ maticorum Tyrannidem & pro sanctæ fidei Catholicæ in ejus-
„ dem locis conservatione contracto admodum gravatæ reperi-
„ bantur. Idem Urbanus Prædecessor Patriarchis, Archiepi-
„ scopis, Episcopis, & alijs locorum ordinarijs, nec non omnibus,
„ & singulis quorumvis ordinum, Congregationis, & Insti-
„ tutorum Regularium Generalibus commiserit, & mandaverit,
„ ut ad minus duabus vicibus quolibet anno Adventus, & qua-
„ dragesimæ temporibus tam per verbi DEI Prædicatores in suis
„ Sacris Concionibus, quam in actionibus, & functionibus publi-
„ cis necessitates eorundem Sacrorum monumentorum Populo
„ proponi, & commendari curarent, & facerent, & alias, prout in
„ ipsius Urbani Prædecessoris litteris desuper in simili forma
„ Br. die 3. Februarij 1624. expeditis, quarum tenor præ-
„ sentibus pro expressis haberi volumus, uberioris continetur: Et
„ sicut pro parte dilecti filii Bernardi ab Ecclesia Ordinis Fratrum
„ Minorum S. Franc: de observantia nuncupatorum professoris,

„ ac eisdem Terræ sanctæ Commissarij Generalis , Nobis nuper
„ expositum fuit, ipse, quò prædictæ Urbani Prædecessoris litteræ,
„ quæ à felicem: Innocentio X. Clemente etiam X. Inno-
„ centio XI. Alexandro VIII. ac Innocentio XII. Romanis
„ Pontificibus Prædecessoribus pariter nostris confirmatae fue-
„ runt, exactius observentur, illas per nos pariter confirmari &
„ innovari decideret. Nos eorundem Sacrorum Monumento-
„ rum conservationi & manutentioni consulere volentes, præ-
„ dictas Urbani Prædecessoris litteras Apostolica authoritate
„ tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus, illas
„ que innovamus, & observari mandamus. Volumus autem
„ ut Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi prædicti in relatione
„ statutis Ecclesiæ suarum quando visitabunt limina Aposto-
„ lorum facienda, referant se prædictis Urbani Prædecessoris, &
„ præsentibus nostris litteris paruisse, contrarijs non obstantibus
„ quibuscumque. Volumus insuper, ut eorundem præsentium
„ transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici
„ subscriptis, & Sigillō personæ in Ecclesiastica dignitate consti-
„ tutæ munitis eadem prorsus fides adhibeat, quæ præsentibus
„ ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Ro-
„ mæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die
„ 18. Novembris 1701.

„ Terra promissionis, dicta ab Ezechiele: *egregia inter omnes*
„ *terras*, pro supremorum prodigiorum suorum theatro per om-
„ nes temporum decursus à DEO singulariter electa perspicue
„ dignoscitur, sed præcipue pro tempore gratiæ: prælegit
„ enim Divini Verbi Incarnationi Nazareth, Bethlehem Nativi-
„ tati, Templum præsentationi, Prædicationibusque Caphar-
„ naum, & Samariam, Miraculis universas finitimas regiones
„ Transfigurationi Montem Thabor, Ecclesiæ nascentis primor-
„ dijs Galilæam, Sanctissimi Sacramenti Institutioni Montem
„ Sion, Passioni Montem Calvariæ, Resurrectioni Sepulchrum,
„ Ascensioni Montem Oliveti, Spiritus sancti Paracliti adven-
„ tui Hierosolymorum cœnaculum, Vallem Josaphath judicio uni-
„ versali.

„ Cùm autem memorata dictæ Sanctæ terræ Sanctuaria
Redem-

„ Redemptionis nostræ Mysterijs ineffabiliter decorata, quamvis
„ in Mahometico Dominio nunc posita, tamen summorum Pon-
„ tificum, & Principum, Christianorum opera, ex singulari Divi-
„ na providentia à Fratribus Minoribus Regularis observantiæ
„ sancti Francisci, qui etiam ea plurium Fratrum Martyrum san-
„ gvine, & miraculis coronârunt, incolantur, & recolantur,
„ Christiano-Catholico honori semper, ac ritu: & periculum
„ foret, nè sacratissima loca in bestiarum stabula, & moscheas ma-
„ hometicas converterentur, nisi consuetum annum Ottomani-
„ cæ Portæ pendatur tributum, & fratres altè fatorum sanctua-
„ riorum custodes pia fidelium charitate promptè sustententur.
„ Hinc ad Eminentissimos, Serenissimos, Illustrissimos, & Re-
„ verendissimos Ordinarios, ac Prælatos totius Christianitatis
„ humillima devolutur supplicatio, ut pro Christiana pietate
„ gratiosè disponere dignentur, quatenus in districtu, suarum ju-
„ risdictionum collectuæ siant, eligendo aliquem ex Canonicis,
„ aliumvè virum pium, ut colligat Eleemosynam, eamque dirigat
„ juxta requisitionem Commissarij Generalis Terræ sanctæ per
„ totum Romanum Imperium, & Provincias hæreditarias Augu-
„ stissimi Imperatoris Patris Francisci de Caccia, cui dictam Ele-
„ mosynam ad sanctam Hierosolymitanam Civitatem promove-
„ re ex officio incumbit: quia hæc est mens sanctissimi, ut san-
„ ctis Redemptionis nostræ locis convenientibus auxilijs subve-
„ niatur. Sciant verò devoti Benefactores, quod participes
„ siant omnium spiritualium bonorum, id est, orationum, jeju-
„ niorum, disciplinarum, peregrinationum, divinorum officiorum,
„ quæ celebratur in novemdecim Conventibus; id est, Hieroso-
„ lymis in Conventibus S. Salvatoris, & S. Sepulchri: in Palesti-
„ na, Gazæ, & Ramæ: In Judæa, in Conventibus Bethlehem, &
„ S. Joannis: In Galilæa, Nazareth, & in Monte Thabor; In
„ Syria, Alepi, Scandaronæ, Tripolis, Damasci, Sion, & Ptole-
„ maidis: In Cypro, Nicosiæ, & Arnicæ, ac unius Conventus
„ Constantinopoli, & denique omnium aliorum operum, meri-
„ torum, quæ die noctuque à Patribus ac Fratribus nostris, in lo-
„ cis, ubi Christus Dominus noster operatus est mysteria nostræ
Redem-

„Redemptionis Sacro-Sanctè peraguntur. Romæ in Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ 1704.

(L.S.)

*Præsentes Litteræ cum authentica Romana collationatæ invi-
tatione paraphrastica concordant in substance. Ita testor
requisitus Joannes Baptista Sighonius, Theol. Doctor Proto-
Notarius Apostolicus Eminentissimi Cardinalis à Kollonitz,
Secretarius Viennæ die 16. Febr. 1704.*

*Præsens copia concordat de verbo ad verbum, cum suo mihi exhibito
authentico instrumento. Ita attestatur Rattib. die 15. De-
cembri 1713.*

*Simon Franciscus Ottik, Proto-Notarius
Apostolicus, Coll. Eccl. Rattib. Prælatus
Cant.*

C A P U T III.

De dignitate Guardiani sacri Montis Sion, & to- tius Terræ sanctæ Præfule.

Intra alia honorabilia officia in nostra Seraphica Religione, spe-
ciali & eminenti locum & dignitatem obtinet Pater Guar-
dianus Hierosolymitanus, utpote Thesaurarius sacrorum loco-
rum Redemptionis nostræ, minister & dispensator omnium
eleemosynarum, quas Terræ sanctæ pia fidelium consecrat libera-
litas, pro conservandis sanctuariorum in tota Palæstina existentibus, ac
Tributis solvendis. Hic Præfule Terræ sanctæ, qui actu in spiritua-
libus ibi Regimen obtinet, expressa sedis Apostolicæ authoritate
multis abhinc annis, ab Anno Domini videlicet 1305. ut Quares-
mius vult Elucid. lib. 2. c. 10. ad præsens usque, est semper Reli-
giosus ex Seraphico Minorum Ordine, in Comitiis Generalibus
peculiariter electus & institutus, aut per Breve pontificium nomi-
natus, uti his bellicis temporibus Capitulo Generali præpedito
factum

factum est, nominatus, qui illuc non solum ejusdem Ordinis,
sed ipsiusnet summi Pontificis autoritate ad illam regendam
& gubernandam in spiritualibus proficiscitur, quare Ordinis
& Pontificis Prælatus est. Ordinis, quia Gvadianus sacri
Montis Sion, & Custos Terræ Sanctæ ; Pontificis verò quia
eius Commissarius Apostolicus, & in pluribus ipsius delega-
tus. Quare, quā talis, aliqua etiam præstare potest, quæ
alij Prælati Ordinis, quicunque illi sint, exequi posse prohibentur,
ut in illius privilegijs & gratijs patebit. Hinc à summis Pontifi-
cibus in eorundem Bullis ad eum missis appellatur non solum
Quardianus sacri Montis Sion, Custosque Terræ Sanctæ , sed
etiam Minister Provinciæ Syriae. Hinc Terræ Sanctæ Præsuli
Gvadianatûs Hierosolymitani perfuncto officio, & ad propriam
Provinciam reverso, honor exhiberi præcipit ut constitutionibus
nostris Generalibus Romæ conceptis Anno 1587, ac si Ministe-
riatus officio functus fuisset. Et quamvis ad Capitulum genera-
le non proficiscatur, ejus tamen loco alias suffragium habet in
electionibus, teste Quaresmio citato ibidem. Reverendissimus
P. Franciscus Gonzaga Ordinis Generalis Minister , & postmo-
dum Episcopus Mantuanus, præminentiam Superioris Hieros-
olymitani describens, ait : eminet post Generalem quibusvis in
S. Religione Superioribus. Gaudet titulô Guardiani Montis
Sion, qui primus locus creditur esse Sacrae Religionis in Oriente,
ab ipso Patriarcha S. Francisco suscepitus, dum in Oriente ageret,
& Soldano Babyloniae fidem evangelizaret. Ut autem præemi-
nentia ejus elucescat, annexo gratias & privilegia Gvadianis
Terræ sanctæ à Sede Apostolica concessa.

C A P U T IV.

D E Gratijs & Privilegijs concessis à Sede Apostolica Supe-
rioribus seu Gvadianis S. Montis Sion & SS. Sepulchri.

I. Guardianus Hierosolymitanus potest admittere habitare
omnes in Terra S. qui cum licentia à Sede Apostolica venirent ad
visidanda loca sancta, & pro sua consolatione vellent ibidem resi-
duum vitae suæ finire. Item potest limitare licentiam à Sancta se-
de obtentam, visis moribus eorum vitae. Et hoc indultum non

Cc

solum



solum habet pro saecularibus, sed etiam pro Religiosis cujuscunque Religionis, du modo habeant licentiam a suis Praelatis, venienti in Terram sanctam. Hoc concessum a Gregorio XI. Bulla, quae incipit de Religiosa vestra discretione, &c. Data Avinione 1375. Pontificatus sui anno V.

II. Potest incarcerare Religiosum cujuscunque Ordinis, gradus & conditionis, tam Clericum quam Laicum, non solum claustralem, sed etiam militarem, qui sine sua vel sedis Apostolicæ licentia in partibus Syriae vel Egypti moratur. Hoc concessit Callixtus III. Bulla 2. Anno 1455. Pontificatus sui anno 1.

III. Potest cuicunque Episcopo Catholico suos subditos pro suscipiendis Ordinibus extra tempora debita, & ab Ecclesia determinata praesentare, illisque concedere, una die omnes minores simul & maiores recipere. Concessit Nicolaus V. Bulla: Apostolicæ sedis copiosa benignitas. Anno 1451. Pontificatus sui anno 2.

IV. Potest absolvere suos subditos, & omnes orientales Christianos, ab omnibus peccatis, Suspensionibus, Interdictis, Simonis, Apostatis, & ab omnibus alijs, etiam Papæ reservatis, dummodo non sint falsificatores litterarum Apostolicarum. Et idem potest committere suis subditis Callixtus III. Bulla 1.

V. Potest commutare omnia vota simplicia, etiam castitatis, non tamen Religionis & peregrinationis ad limina Apostolorum. Idem Bulla 2. data Romæ ad S. Petrum Anno 1555. Pontificatus sui Anno 1.

VI. Potest secum conducere Religiosos petentes ad Terram sanctam, & etiam advocare, quae authoritas non potest impediri ab inferioribus, imo nec ipso Generali, prout declaravit S. Congregatio Anno 1646. 9. Julij.

VII. Potest dispensare cum suis subditis in Regulæ praceptis in calu necessitatis & itineris. Callixtus III. Bulla 1. Etsi ex debito, &c. Anno 1455. Pontificatus sui Anno 1.

VIII. Potest dispensare in omni irregularitate, praeterquam homicidij, & mutilationis membrorum, ac Bigamiae. Item cum excommunicatis, suspensis & interdictis; nec non hereticis, Schismaticis, Judæis Saracenis, & alijs a Romana Ecclesia deviantibus,

bus, legitima & rationabili causa conversari & commorari. Insuper alicujus scandali evitandi gratia, eodem Schismaticos, haereticos, excommunicatos, suspensos, & interdictos divinis officijs intereste permittere, & denique si opus fuerit, medicinalia a Medicis & personis prohibitibus postulare & recipere, & ad hæc suos subditos deputare. Idem Bulla & anno eodem.

IX. Potest approbare pro Confessionibus audiendis, & causibus absolvendis non solum suæ, sed etiam aliarum Religionum Sacerdotes, etiam saeculares, in terra sancta residentes vel peregrinantes. Idem Bulla Devotionis vestræ ardor. Data Romæ ad S. Petrum Anno 1457. Pontificatus vero anno 3.

X. Potest absolvere eos, qui sine licentia Sedis Apostolicæ ad terram Sanctam profecti sunt, tanquam introdatos excommunicatione. Martinus V. Bulla: exigit vestræ devotionis sinceritas, &c. Data Florentiæ Pontificatus sui anno 3.

XI. Potest honestos nobilisque viros Christi fideles cujuscunque nationis & statutus proficentes ad sanctam Civitatem Jerusalem, instituere Equites SS. Sepulchri D.N. IESU Christi. Licet hanc facultatem exercuisse auctoritate pontificia Gvadianos prius non dubitem, concessit id tam vivæ vocis oraculo ad instantiam F. Hieronymi de Valentia Commissarii Curiæ pro familia Cismontana Clemens VII. Anno 1525. 1. Octobris. Et Leo X. anno 1516. quam concessionem exhibet Epistola scripta ad Gvadianum Capella privilegiorum Montis Sion. Meminerunt etiam hujus privilegij scriptores, qui de sacris ordinibus militaribus scriperunt.

XII. Potest benedicere & distribuere in oriente cum participatione indulgentiarum & gratiarum, ab Innocentio 3. & alijs Pontificibus concessarum, Cruces in lana candida, cum cruce cælesti & rubea, quibus utitur Ordo SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum. Ita pro se substituit Gvadianus Montis Sion Alphonsus Paleotus I. V. Doctor Bononiæ ex palatio Episcopali Anno 1582. 20. Aprilis.

XIII. Potest expendere elemosynas pecuniarias à fidelibus pro locis sanctis oblatas, ac alios ad hoc deputare. Urbanus VIII. Bulla ut dilecti filii Gvadiani, &c. data Romæ 1632. Ponti-

Pontificatus sui anno 9. Item mittere fratres suos pro eleemosynis, ad terras tam fidelium, quam infidelium. Callixtus 3^o Bulla 1.

XIV. Potest dispensare in impedimentis Matrimonij in gradibus Ecclesiastica, sed non divina lege prohibitis, ut contrahentes in ipsis permaneant. Item cum conversis, qui fuerunt infideles vel schismatici, & uxores consanguineas prius duxerunt, modò tamen divina lege non interdicto, ut cum ipsis permanere valeant. Innocentius IV. Bulla: Cùm hora undecima sit diei, &c. Data Lugduni 12. Kalen: Aprilis Pontificatus sui anno 2.

XV. Potest concedere habitum suæ Religionis, alterius Ordinis Religiosis, ut valeant securius incedere inter Persas & Mahometanos & visitare loca sancta, sicut hoc opus videlicet charitatis præstatum Patribus Carmelitis & Capucinis & alijs, ita ut hi capucium cum Mozeta assumant, illi vero relicto scapulari chorda praecingant.

XVI. Potest conferre Ordines Minores, benedicere calices, Altaria, Corporalia & alia paramenta Ecclesiastica, administrare Sacramentum Confirmationis etiam veteri Chrismate. Clemens V. Callixtus III. Bulla 1. Etsi ex debito, &c. Romæ ad S. Petrum Anno 1455. Pontificatus Annō 1. Item in celebratione divinorum officiorum vel Sacramenti Confirmationis collatione uti Episcopalibus indumentis.

Multis præterea Privilegijs & indultis gaudet R. P. Gvardianus Sacri Sepulchri & Montis Sion, quæ videre est apud plures Authores; quæ & communicare potest suis subditis Religiosis, qui etiam non possunt esse excommunicati, nec interdicti, sine speciali facultate Sedis Apostolicae. Ita Gregorius IX. Bulla: Si Ordinis Fratrum Minorum Religionem attenditis, &c. data Perusij 1230. Prius vero IV. confirmingo Bullas Pontificum Prædecessorum suorum, sequentia tradit, Bulla, quæ incipit: divina disponente Clementia, &c. Insuper omnia & singula privilegia, prærogativas, facultates, indulta, & alias gratias, Gubernatoribus, Gvardianis & Fratribus, aliasque fidelibus Terræ sanctæ pro tempore existentibus, per quos cuncte Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & secundum prædictam, vel ejus Legatos, tam in scriptis, quam vivæ vocis oracu-

lo,

¶ tam in genere, quam in specie, & alias quomodolibet hactenus concessa, litterisque predictas, & in eis contenta quaecunque, eisdem auctoritate & tenore confirmamus & approbamus, & nihilominus potiori præcautela, illa omnia & singula eisdem modis & formis, quibus concessa fuerunt, de novo perpetuo concedimus & indulgemus, ac illis perpetuae & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque & singulos juris & facti defectus, si qui forsan intervererunt in eisdem supplementis, &c. Datum Roma apud S. Mariam Majoren Anno 1561. Pontificatus nostri Anno 2.
Idem fecerunt sui Prædecessores; confirmando jam dicta.

C A P U T V.

Cum dictum fuerit, quod Gvardianus S. Montis Sion & SS. Sepulchri gaudet titulo Custodis Terræ sanctæ, proinde ut talis tenet sub suo gubernio sequentes Conventus, hospitia, & sacra loca.

In Judæa.

- I. Hierosolymis Conventum principalem S. Salvatoris, in quo ordinariè residet. Est Parochia simul.
- II. SS. Sepulchri, in quo Superior vocatur Præsidens.
- III. In Bethlehem, ubi Verbum Incarnatum natum est, Conventus & Parochia.
- IV. S. Joannis Baptiste in montanis Judææ, in loco Nativitatis ejusdem Conventus & Parochia.
- V. SS. Sepulchri in valle Josaphat B. V. MARIAE.
- VI. S. Nicodemi in Rama, hospitium & Parochia.
- VII. In Jaffa seu Joppen, hospitium & primus portus Terræ S.

In Galilæa.

- VIII. In domo Nazarethana, ubi Verbum Incarnatum est, Conventus & Parochia.
- IX. Decollationis S. Joannis Baptiste Ptolmaidæ, vulgo S. Joannis de Acéri. Hospitium & Parochia.
- X. Annuntiationis B. Virginis MARIAE, Sidone seu in Saïda, hospitium & Parochia.

In



In Syria.

- XI. S. Antonij in Aleppo, Conventus & Parochia.
XII. S. Joseph Sponsi DEIparæ, Tripoli, hospitium.
XIII. S. MARIÆ boni itineris, Scandaronæ, vel Alexandrettae, hospitium & Parochia.
XIV. SS. Petri & Pauli in Arissa, in collibus montis Libani, hospitium & Parochia.
XV. Assumptionis B. Virginis Damasci, hospitium & Parochia.

In Aegypto.

- XVI. S. Francisci in Magno Cairo, hospitium & Missio. Superior vocatur Vice-Præfectus.
XVII. Beata Virginis fugæ in Aegyptum cum S. Joseph, in veteri Cairo, hospitium, Parochia & Missio.
XVIII. JESU & MARIÆ in Fajume, hospitium.
XIX. JESU & MARIÆ fugæ in Aegyptum, in Roseto, hospitium & Parochia.
XX. S. Catharinæ Alexandriæ, hospitium & Parochia.
XXI. S. Ludovici Regis Galliarum, Damiatæ, hospitium, Parochia & Missio.

Constantinopolis.

- XXII. S. Crucis in Hierusalem, hospitium, ubi Superior gaudet titulô Commissarij.

In Regno Cypri.

- XXIII. S. MARIÆ in Civitate Arnica, alias Salina, Conventus & Parochia.
XXIV. S. Crucis in Civitate Nicosia, Parochia & Missio. Habuit Custodia Terræ S. alia duo hospitia, scilicet S. Joannis Evangelistæ in Sichar, seu Sichem modò dicta Napolosa, quæ Metropolis est Samariæ. Alterum S. Antonij Abbatis Gazæ in Palestina, præter alios duos Conventus, Baruthi in Syria, & S. Jeremiah, quasi duobus milliaribus Jerosolymâ, & quatuor distans Ramam.

mā, sed cūm pro nunc ob barbarorum persecutio[n]es & deprædationes hæc loca sīt derelicta, idcirco ea huic locorum syllabo non adjungo. Omnia supra notata loca, cum alijs Capellanijs pro diversis nationibus subsunt jurisdictiōni & gubernio Reverendissimi P. Gvadiani Hierosolymitani, cuius Præsulatus & Superioratus durat ad triennium, nisi confirmatio superveniat quod ob rationabiles causas frequenter contingit, ut prolongetur ejus officium.

Primus Gvadianus, post S. Franciscum (nam firmiter tenendum & asseverandum est, S. Patrem fundasse primum Conventum pro Minoribus supra S. Montem Sion, ut docent Malleus, Bonifacius, Quaresmius, Lucas Wadingus Tom. I. Annal. sub anno 1226.) creatus sicut ab Honorio III. Anno 1226 P. Joannes à S. Martino, qui Simil sicut Patriarcha Hierosolymitanus, gubernavit annis 12. perfunditus legationibus diversis Pontificijs, & à S. Ludovico Rege Galliarum missus ad Sultanum Aegypti, ut testatur Wadingus. Intra hos annos usque ad modernum 1714, numerantur Gvadiani 104. usque ad hodiernum. Anni vero à quo sunt Franciscani in Palæstina & Syria, ad præsentem annum 1714. elapsi sunt 415. A quo declarati sunt Gvadiani Hierosolymitani Præfecti Missionum Aegypti, & Cypri, elapsi sunt anni 25. id est usque ad annum præsentem 1714. annumerando modernum Reverendissimum P. Gvadianum, qui est Laurentius à S. Lauren[t]io, Ord. Min. S. P. N. Francisci de Observantia, Lector Jubilatus, Romanæ Provinciæ Ex-Minister Provincialis, Scriptor Ordinis, S. Congreg. Indicis Consultor, Supremæ atque Universalis Romanæ Inquisitionis Qualificator, in partibus Orientis Commissarius Apostolicus, S. Congreg. de propaganda fide Responsalis, Missionum Aegypti & Cypri Præfectus, totius Terræ S. Custos, Sacri Montis Sion, nec non SS. Sepulchri D. N. J. Christi Gvadianus, qui in Europam proficiscentem me ad collectam faciendam eleemosynæ pro subsidio Terræ Sanctæ, his paternis litteris comitari dignatus est:

Frater



Frater Laurentius à S. Laurentio Ord.
Minor. Regularis Observantiæ S. P. N. Fran-
cisci Lector Jubilatus Romanæ Provinciæ ex Minister Pro-
vincialis, Scriptor Ord. Sacrae Congregationis Indicis Consultor,
Supremæ atque Universalis Romanæ Inquisitionis Qualificator,
in partibus Orientis Commissarius Apostolicus, Sacrae Congre-
gationis de propaganda Fide Responsalis, Missionum Ægypti, &
Cypri Praefectus, totius Terræ Sanctæ Custos, Sacri montis Sion,
nec non Sanctissimi Sepulchri Domini Nostri JESU Christi Gva-
rdianus, & Servus. Dilecto nobis plurimum in Christo Patri Fratri
Joanni Cantio Solik, Provinc. Reformario Bohemiae Conciona-
tori Missionario Apost: ac Comm: Conductæ Salutem in
Domino Sempiternam.

Dicit quidem expedítque, ut Fratres, qui ardenti zelo, de-
votioneque fervida pro Sanctorum subventione Loco-
rum eleemosynas hinc inde collectas, de Superiorum jussu non
sine magno vitæ discrimine per maria, & Terras huc diligenter,
fideliterque asportarint, condigno, hinc redeentes testimoniō
honestentur, similiaque peracturi negotia, ad id requisita, au-
thoritate fungantur. Cū Tu igitur modō de Mandato Re-
verend. & Admod: R. Patris Terræ sanctæ in toto Roman: Im-
perio Commissarij Generalis (Facultate ad id præstandum ha-
bita à Nostro Reverendis. Patre Ministro Generali) ad hanc
sanctam Hierosolymorum Urbem perveneris, & eleemosynas,
Tibi concreditas, pro usuris, censibus, alijsque solutionibus ex-
tingvendis nobis fideliter consignaveris; Turcarumque extor-
fiones, calamitates nostras, vexationes, miseras, & in univer-
sum Terræ Sanctæ necessitates proprijs oculis inspexeris, imo
in dies excrescere contrectaveris: proinde harum virtute, &
cum salutaris obedientiæ merito ad Præfatum Adm: Reverend:
Patrem Terræ Sanctæ Commissarium Generalem Te mittimus,
destinamus, ut cum ipso de eorundem Sanctorum Locorum,
negotij, statuque agas, ac tibi à nobis oretenuis communicata
pertractes: ad nosque valeas harum tenore (DEO propitian-
te) redire. Si quas etiam pro sanctis Locis eleemosynas, ali-
cubi

,, cubi congregatas, & remissioni promptas, seu alias à quibusvis
,, personis in iustè detentas, seu retinendas agnoveris, ut nostro
,, eas nomine recipere ; & sub debitis præcautionibus Tribu-
,, nalis cuiusvis ad quod spectet (imploratō auxiliō, si necesse
,, sit) exquirere, &c. & cum alijs tibi concreditis, seu recenter
,, oblatis asportare valeas. Ad quæ & similia, quæ inopinatè
,, occurrere possint ; & Sanctorum Locorum utilitatem concer-
,, nant vices nostras, quantamque jure possumus, & facultatem
,, Tibi impertimus. Vade, & vale DEUMque pro nobis exora.
,, Hierosolymis in Cōventu nostro sancti Salvatoris die 4. Men-
,, sis Maij Annō 1710.

(L.S.) Fr. Laurentius à S. Laurentio Sacri Montis Sion Guar-
dianus ac totius Terræ Sanctæ Custos.

De Mand: Patris suæ Bohemiae F. P. Franciscus de
Florentia Terra Sanctæ Secretarius.

C A P U T V.

De valore Indulgentiarum concessarum S. Lo- cis Palestinis.

Esset multūm temerarium dubitare de Indulgentijs Sacro-
rum locorum confirmatis tot oraculis Summorum Ponti-
ficis, qui concesserunt diversa in diversis Ecclesijs & Locijs à tota
Christianitate Summâ devotione celebratis. Confirmat hoc Pere-
grinatio tot piorum fidelium, ex omnibus regnis & Provincijs. Ut
autem melius percipiatur, quantus sit thesaurus Indulgentiarum
quæ lucrantur in Terra Sancta, declarant verba Domini no-
strī S. Brigittæ expressa, cum intraret SS. Sepulchrum & sunt se-
quentia: *Quando intrāsi visitare meum templum consecratum cum
meo sanguine, remansi sic mundata à tuis peccatis, ac si nunc exciusses
de fonte Baptismali, & propter tuam devotionem, & laborem, exire-
runt ex Purgatorio ad gloriam aliquę ex tua parentela: nam omnibus,
qui intrant hoc templum, cum perfecta voluntate emendandi suam vi-
tam, & non redeundi ad præteritas culpas, remittantur omnia peccata,*

Dd

Lib. 7. de
Revel. c. 14

L. 4.
Et augetur gratia ipsi in proficiendo. Item cum S. Brigitte super de-
solata Sanctuaria, hanc movisset quæstionem: Christe Domine mi-
charissime, ego credo, quod illi Loco Siponti multæ gratiæ, & indulgen-
tiæ concessæ fuerunt à Pontificibus; numquid quia muri destruendi sunt,
etiam gratiæ abolitæ sunt? Respondit Christus: Quis locum est Sanctior
Hierusalem, ubi ego ipse DEUS impressi mea vestigia? Quis locus nunc
despectior, qui ab infidelibus inhabitatur & conculcatur? attamen qui
in Hierusalem veniunt, eandem priorem gratiam inveniunt, & remissio-
nem. Similiter est de loco isto. Nec oportet Scrupulis angi si in
præsens non reperiantur Originalia harum Indulgentiarum, suffi-
cit scire quod sint concessæ primarijs Sanctuaris Ecclesiæ DEI,
qualis est Terra Sancta, & quod sint à Summis Pontificibus vivæ
vocis oraculô, & Bullis confirmatæ.

I. 4.
Bulla authentica dicenda: Loca illa Sacra non indigent litteris no-
stris, nam potius est quædam derogatio, quam authentizatio, quia &
Roma multæ sunt Indulgentiæ; super quibus scripta Apostolica non
habentur. Sicut illa grandis indulgentia data à Christo Sancto
Patri Francisco, Sanctæ MARIAE Angelorum dicata 2. Augusti
quæ non habuit Bullam aliquam, immo cum Papa se exhibuisset
ad dandam illam, reposuit S. Pater, si istud opus DEI est ipse DEUS ha-
babit curam manifestandi illud; charta istius instrumenti erit B. V.
Notarius Christus, & testes Angeli. Similiter possumus dicere
de Indulgentijs Terræ Sanctæ, charta est humanitas Christi, cala-
mus clavi, atramentum Sacratissimus sanguis, Notarius Pater
æternus, testes B. V. Joānes Sancti Apostoli acto Sancti Martyres,
quorum Nomina sunt in libro vitæ.

Nos verò viles, cum Te in monte Calvario Crucifixum contemplamur,
speramus, & sperabimus, Te nobis, innumerisque defœtibus, qui in hoc opu-
sculo irreperunt, ignosci; fructum verò exoptatum, ut tuis semper inhæ-
reamus mandatis da supplicibus tuis obsecro, nec nos dimittas, donec nobis
benedicas, ut desideria, de tua inspiratione, in - & extra Hierosolymam con-
cepta, nulla possint tentatione mutari, & propter te confirmetur finis mei
itinéris, quique nobis Cœlestis Hierusalem arrham das, ad terrestrem admit-
tendo, vel eam in hoc opusculo contemplando, tandem aliquando &
fruitionem æternam concedas.

CATA-

oo

oo

CATALOGUS

Omnium eorum, in hoc Libro contentorum, secundum Alphabetum appositus; ubi prior numerus Tractatum, subsequens vero, Caput designat.

A bdomin - - - - XX. - II.	Divisio - - - - IV. - VI.
Abelis occisi Locus. XVIII. VI.	Dormitionis Locus. - V. - VIII.
Abrahæ Sacrificium. IX. - VI.	Fons - XX. I. Latibula XII. XII.
Absoloni Sepultura. - XII. - II.	Lotio Pedum IV. I.
Accaron. - I. - - I.	Aparitionis Christi Orator: VIII. - IV.
Accri civitas. - I. - - I.	Armenarum Viduarum Con-
Adama. - - - - XX. - X.	ventus & Ecclesiae - II. - VI.
Adami Capella, Sepultura	Ascensio Christi - X. - I.
Caput. - - - - VII. - XI.	Avete, Locus - II. - III.
Adami plasmatio. - XVIII. VI.	Ave Rex Judæorum - VI. - II.
Adomin & quæ ibi contige- runt. - - - - XX. - II.	Balchosor Villa - XI. - VII.
Adonidis statua. - - - - XV. - V.	Baldinus Rex - XXIV. V.
Ananias Paraliticus. - I. - VI.	Sepulchrum ejusdem - VII. - XI.
Ager Sangvinis. - XII. XIII.	Baruth, Civitas, & ibid: San-
Ananiz Domus - XVIII. V.	ginis Christi effusio - XXIV. VI.
Ananiz Sepultura - XVIII. IV.	Beatitudinum Mons - XXIII. IV.
Anathot, Patria Jeremizæ I. - VII.	Bersabeæ Piscina - XIV. I.
Andrea Ap. Altare Hierosol: - IX.	Pethania - XI.
Angeli ad Pastores - XVI. VI.	Pethleem - XV. - I.
Anguriaæ Montis Catmeli XXIV. I.	Via in Bethleem - XIV. -
Annae, Matri E.V.M. Domus,	Bethleemitana SS. Loca ve-
Ecclesia, gratiae - III. - VII.	ra comprobantur - XV. V.
Patria XXII. VI. Sepultura V. - IV.	Bethulia in Galilæa - XXIII. II.
Annae Pontificis Domus II. - VI.	Bethulia in Judæa - XVII. I.
Anniversari funerale Christi VIII. VII.	Bethphage - X. - IX.
Annuntiationis Domus - XXI. III.	Betsaida - XXIII. V. & IX.
Anti-Christi Adventus - X. - I.	Betsura - XXIII. II.
Apostolor: Congregatio ad mortem E.V. - X. - IV.	Botrus Cypri - XVIII. VIII.
	Bullæ Pontificum - XXV. II.
	Cænaculum Christi - IV. - I.
	Caipha

Caipha Civitas	XXIV. II.	Columna flagellationis	VII. - II.
Caiphæ Pontificis Domus	IV. - VIII.	Columna Improperiorum	VII. - VIII.
Calvaria Mons	VII. - IX.	Columnæ Bethleemiticæ	XV. - III.
Campanile ad Basilikam SS. Sepulchri	VII. I. & IXV.	Columnæ Nazaretanæ	XXI. - III.
Campus Ezdrezon	XX. - I.	Concilium Hierosol:	IV. - I.
Cana Galilæa & ejus fons	XXIII. I.	Conciones feria 6. Paræsc:	VIII. - VII.
Canonici Regulares	VII. - I.	Hierosol:	- - -
Capharnaum	XXIII V. & X.	Confirmationis Sacramenti	
Caravana quid?	V.V. & XX. VII.	Hierosol: Collatio	IV. - VIII.
Carcer Christi	VII. - III.	Convallis Mambre	XVII. VII.
Caser Jeremiæ Proph:	XIII. IV.	Conventus Palæst:	XXV. V.
Carcer S. Petri	III. - I.	Credo, Composit: Locus	X. - VII.
Carmelus Mons	XXIV. I.	Crucis Conventus.	XIX. VII.
Catharinæ V & M. Ecclesia	XV. - II.	Crucis depositionis Locus	VIII. V.
Castellum, quod contra vos	X. - IX.	Crucis inventionis Locus &	
Cayrus civitas	XXIV. X.	Solemnitas	VII. VI.
Cedri Libani	XXIV. IX.	Crucifixionis Locus	VII. X.
Cedron Torrens	VI. - X.	Damascus	XVIII. I.
Coena Domini	IV. - I.	Damascena Terra	XVIII. VI.
Cællægo, à Salomone fabri- catæ	II. - VII.	David Cisterna	XIV. IX.
Christi ad Annam alligatio & præsentatio	II. - VI.	Debora	XXI. I.
Captio ejusdem	VI. - IX.	Deboræ Villa	XXII. II.
Casus cum Cruce	III. - VI. & VI.	Deliquia B. V. Mariæ	XI.VI. & IX. III.
Casus in torrente Cedron & vestigia ma- nuū expressa. V.X. Et pedum in monte Oliveti - X. II. Improperia VII. VIII		Deseratum Christi	XX. - VI.
Christi apparitio facta tribus Marijs	II. - I.	Deseratum S. Joannis	XIX. - V.
Sangvinei Sudoris Locus	V. - V.	Divisio Vestimentorum	VII. - V.
Cingulum à B. V. M. datum S. Thomæ	V. - VI.	Dio Cesarea Civitas	XXII. V.
Cingula Nazaretna	XXI. III.	Draconis occisio, à S. Geor- gio	XX. -
Cifon torrens	XXI. I.	Ecce Homo	VI. - V.
Cisternæ Conventus SS. Sal- vatoris	II. - I.	Eliæ Prophet: Conventus	
Cisterna David	XIV. IX.	Rupes	XIV. VI.
Cisterna B. V. Mariæ	XXI. IV.	Pepones ejus, vulgò an- guriaz	XXIII. - I.
Cisterna trium Regum	XIV. IV.	Occisio Prophetarū ab eo	XXI. - I.
Cleopha	XI. - VI.	Elisabeth: Matris S. Joannis	
		Bapt: Sepultura	XIX. - VI.
		Elisæ fons	XX. - V.
		Emmaus Castellam	XI. - VIII.
		Endor: Civitas	XXII. - II.
		Epulon.	VI. - VII.
		Esdrelon Campus	XXI. - I.
		Evnuchi Baptismus	XIX. - I.
		Eusebius,	

Eusebii Crem: Episcopi Sepult. XV.	XI.	Ejusdem Ecclesia	VII. - VII.
Evstochij Virginis Sepulturæ		Herodis Palatium	VI. - IV.
Locus	XV. X.	Hieronymi Doctoris Ecclesia	
Ficulnea maledicta.	XI. I.	Oratorium	XV. VIII.
Filiabus Jerusalēm occursus		Ejusdem Schola	XVI. I.
Christi	VI. - I.	Sepulchrum	XV. - IX.
Flagellationis Columna	VII. - II.	Solitudo	XX. - VIII.
Locus	VI. - II.	Holofernes	XXIII. II.
Franciscanorum Oratorium ad SS. Sepulchrum	VII. - IV.	Hortus Conclusus	XVII. III.
Franciscanorum Tribulatio-		Hospitaria Hierosol:	II. - I.
nes Hierosol: 1599.	IX. - I.	Jabin	XXI. I.
Σ. Franciscus Gvadianus Pri-		Jacobi Apost: antrum	XII. - III.
mus Montis Sion	II. - I.	Conventus & Ecclesia e- jusdem	II. - V.
Obtinuit Ecclesiā SS. Sepulchri VII. I.		Jacob Patriarchæ Domus	XVI. VII.
Fratribus Min: Cur Loca Terræ S.		eiusdem ex Mesopotamia reversio	XVI. VI.
Commissa	XX. VI.	Jaffa, Castellum seu Joppen	I. II. & VI.
Gabaon	XI. IX.	Jeremias Prophetæ antrum	XIII. III.
Gehennon Vallis	XII. VI.	Cancer eiusdem	XIII. - IV.
Gelboe Montes	XXI. I.	Jericho	XX. - III.
S. Georgij Mart: Locus	I. - IV.	Jesabelis Nativitatis Locus	XXIV: V.
S. Georgius draconē occidit	XXIV. VI.	Improperiorum Columna & Sacellum	VII. VIII.
Gethsemani Hortus	V. - IX.	Innocentium Capella	XV. VII.
Gigantes	XIV. - I.	Joachim, Patris B.V. Sepulchrū V.	IV.
Gihon-Mons	XIII. - I.	Joannis Bapt: Conventus, Ec- clesia, & Locus Nativ:	XIX. II.
Gloria in Excelsis	XVI - VI.	Desertum, Locustæ	XIX. V.
Godefridus Bulion Rex Je- rosol:	VII. - I.	Oratorium ejus in Golgotha IX.	IV.
Sepulchrum eiusdem	VII. - II.	Joannis Evang: Ecclesia, Natalis III.	IV.
Goliath ubi occisus	I. - VIII.	Joannis, Marci, Domus & Ec- clesia	III. III.
Golgatha	IX. - IV.	Jonas	I. II.
Gomorcha	XX. - IX.	Jordanis Fluvius	XX. VII.
Gvadiani Hieros: dignitas	XXV. III.	Peregrinatio ad eundem	XX. -
Privilegia	XXV. - IV.	Josaphat Vallis	V. II.
Habacuc Prophetæ Domus	XIV. - V.	Sepulchrum XII. I.	
Haceldama	XII. - XIII.	Josephi ab Arimat: Sepulchrū VIII. II.	
Hebrai Crucifixū pungunt	XXIV. VI.	Josephi, Sponsi B.V.M. Domus XXI. IV.	
Turcas cōcitant contra		Domus altera in Bethle: XVI. V.	
Françiscanos	III. - I.	Capella	XV. VI.
Hebron, Civitas	XVII. VIII.	Officina	XXI. IV.
Helena Imperatrix, Fundat:		Sepul-	
Ecclesie Hierosol:	VII. - I.		
Montis Oliveti	X. - I.		

Sepulchrum	V. - IV.	Fons in valle Josaphat XII. XI. In Iudeæ XIX. III.
Isaac immolandi Locus	IX. - VI.	In Nazareth XXI. V. Funus &
Isaiae Proph: sepulchrum	XII. X.	Quæ in eo Contigerunt. IV. - III.
Iudeæ Tarsensis Domus	XVIII. IV.	In Golgotha IX. - IV. Nativ. II. - VII.
Iudeæ Iscariotis suspendium	XII. VIII.	Annuntiatio Mortis X. - III.
Iudeæ Sangvinem Christi ex- primentes	XXIV. VI.	Locus Mortis IV. III. Palma allatio X. IV.
Judicij Universalis Locus	X. - V.	Privilegia Concessa ante Mortem X. IV.
Judith	XXIII. II.	Sepulchrum V. IV. Timor XXI. VII.
Julia Civitas in Gallilæa	XXIII. IX.	Villa B.V. Mariae XVII. VI.
Lac B.V.M. & ejusdem virtus	XVI. III.	Marthæ Virg: Domus XI. - V.
Lampades in Ecclesia SS. Se- pulchri	III. I & VI.	Matharea villa - XXIV. XI.
Lapis Angeli desuper sedentis	VIII. I.	Mathia Apost: Elechio IV. I. & IV. IV.
Lapis Christi desuper sedentis	XI. - V.	Medin Moneta V. - IV.
Lapis oitij Monumenti	VIII. I.	Medium Terræ VIII. VI.
Latronis boni Castellum	I. - V.	Mel Sylvestre S. Joan: Bapt: XIX. V.
Lazari Castellum	XI. III.	Melchisedech Sacrificium IX. - V.
Sepulchrum	XI. IV.	Memphis XXIV. X.
Libanus Mons	XXIV. VIII.	Menfa Christi I. - XXI.
Longini Marty: Sacellum	VIII. IV.	Michaelis Archani: Oratorium IX. - IV.
Lot, Uxor	XX. X.	Milliare Gallicum I. - VII.
Lucas Evangelista	XI. VI.	Missa Prima IV. - I.
Lauretanæ Domus descriptio	XXI. III.	Moria Mons IX. - VI.
Lyda	I. - IV.	Mucari I. II. & XX.
Machabæorum Castellum	I. VI. & VII. VI.	Naim Civitas XXII. III.
Magdalenaæ apparel Christus	VIII. III.	Nataræa villa XXIV. II.
Sacellum	IX. II.	Natatoria Siloë XII. - IX.
Remissio facta Peccatorum	III.	Nazareth in Gallilæa XXI. - II.
Magdaluim Castellum	XXIII. VIII.	Via in Nazareth XXI. - I.
Magorum adoratio	XV. - V.	Nicodeamus I. - III.
Mambre, Convallis	XVII. VII.	Nicolai Episc: Ecclesia XVI. II.
Manassis Sepultura	IV. - VII.	Nicopolis XI. - V.
Mare Galilææ	XXIII. V.	Noëniæ XII. - IX.
Mare Mortuum	XX. IX.	Noëniæ puteus XII. V.
Mariæ Christus post Resurre- ctionem appetet	VIII. IV.	Nonus Episcopus X. - III.
Mariæ Domus in Monte Sion	IV. - III.	Odolla Spelunca XVIII. IX.
Nativitatis Domus	II. - VII.	Offensionis Mons XII. - VII.
Nazaretana Domus ejus tran- latio per Angelos facta	XXI. II.	Oliva Annæ Pontificis II. VI.
Ecclesia in Bethleem	XV. I. In valle Jo- saphat V. - IV.	Oliveti Mons. X. I.
		Palma B.V.M. per Ang. allata. X. IV.
		Parasceves feria 6. funatio. VIII. I.
		Palitoribus annuntiatur Nativ. Christi XVI. VI.
		Pasto-

Pastorum Villa	XVI. IV.	Regum Cisterna	XIV. IV.
Pater noster ubi Christus docuit	X. - VI	Regum Sepulchrâ	XIII. II.
Paula Romanæ Viduæ Monasterium		Sabbæ Abbatis Conventus Lau-	
Fundatrix 4. Monast: XVI. VII. Se-pulchrum	XVI. - VII.	ra.	XVIII. X.
	XV. - X.	Sabbathiiter	X. - I.
Pauli Apostoli Baptismus & Con- versio	XVIII. II.	Safka	XXII. IV.
Raptus in cœlum	XVIII. IV.	Saida	XXIV. V.
Pelagia Sepulchrum	X. - III.	Salomonis piscinæ XVII. IV.	Templum
Pepones Carmeli	XXIV. I.		III. VIII.
Peregrinorum Lotio pedum		SS. Salvatoris Conventus Ec- clesia Gvrdianus, Horti Ho- spitaria, Infirmary.	II. - I.
Hierosol:	II. - II.	Samuelis fons XI. IX. Mons XI.	X.
Receptio Peregrinorum	II. - I.	Sancia Regina Siciliæ	II. - I.
Petra cum faucibus	II. - VI.	Seboim	XX. IX.
Petra undionis Christi	VII. - XII.	Sephora	XXII. VI.
Petri Apostoli Carcer & Eccle- sia	III. - I.	Sepulchrum D.N. JESU Christi	
Mansio ad Coriarium	I. - II.	& ejusdem 3. plex apperitio	VII. I.
Fletus V. XI. Paralyticum sanat I. IV.	I.	Platea ejus	IX. I.
Philippi fons	XIX. - I.	Sephoris	XXII. V.
Pilati arcus. VI. V. Palatium	VII. - III.	Serapta Civitas	XXIV. IV.
Plantæ Christi	X. - I.	Sidon	XXIV. V.
Plantula ad Sangvinem Sudore- rem	V. - V.	Siloë Villa	XIV. IV.
Porta aurea V. I. Ferrea	III. - II.	Simeonis Prophet: Turris	XIV. II.
Judiciaria VI. IX. S. Stephani	III. VI.	Sepultura	XII. - I.
Sterquilinia	V. XII.	Simon Cyrenæus	VI. I. V. VII.
Præcipitium Christi	XXI. VI.	Simonis Coriarij Domus	I. - II.
Præsentatio B. V. M. in Templū	II. - VII.	Simonis Leprof Domus	XI. II.
Præsepe Domini	XV. IV.	Simonis Pharisei Domus	III. V.
Probatica piscina	III. VI.	Sion Mons	IV. - I.
Processio quotidiana in Beth- leem	XV. III.	S. Francifco datus	II. I. & V.
Ad SS. Salvatorem	II. I.	Ejus fortitudo	IV. - II.
A. SS. Sepulchrum	VII. II.	Epulsiō Franciscanorum ex eodem ibidem	
Sexta feria Parasceves	VIII. VII.	Spiritus S. Milisio	IV. - I.
Prophetarum Monumenta	X. VIII.	Stabulum in quo Christus natus	XV. III.
Ptolomaidæ Civitas	I. - I.	S. Stephani Lapidatio	V. - III.
Quarantana Christi	XX. VI.	Corporis Translatio	IV. - V.
Rachelis Sepulchrum	XIV. VIII.	Et ejusdem penes mortem	
Rama	I. - III.	B. V. M. Oratio	V. - VII.
Rama seu Ramathæ propè Beth- leem	XIV. VII.	Tabiata	I. - II.
		Terebinthus B. V. M.	XVI. III.
		Terræ medium	VIII. VI.
		E e	Thabor


Thabor Mons	XXII. I.	Vallis Terebinthi	I. - VIII.
Thecue Villa	XVII. II.	Valor Indulgentiarum	XXV. VI.
Thomæ Apost: Domus & Ec- clesia	II. - IV.	Veronicae Domus & Vellum	VI. VIII.
Tiberias Civitas	XXIII. VII.	Christi Occursus	VI. I & VIII.
Titus opugnans Hierosol:	X. - I.	Via Crucis seu Dolorosa	VI. - I.
Torciman quid	IX. - I.	Vicus regius	XVIII. III.
Transfigurationis Locus	XXII. I.	Vinea Engaddi	XVIII. VII.
Tripolis in Soria	XXIV. VII.	Vini Gallilæi	X. - II.
Tyrus.	XXIV. III.	Zachariae Domus	XIX. IV.
Vallis fundata	XXI. - I.	Sepulchrum	XII. IV.
Vallis Illustris	XX. - III.	Zachæi Domus	XX. IV.
Vallis Jofaphat	II. & XII.	Zebedæi Domus	III. - IV.
Vallis Lacrymarum Adam & Eva	XVIII. VII.	Patria	XXII. V.

finis
anno quō
prInCeps eVgenIVs DVX sabaVDIæ
feraLes nobIs & terræ sanCtæ Infensos
hostes penes CarLoWItz stre-
nVè prostraVIt & feLIClter
VIClt.



MENDA SIC EMENDA;
Primum vocabulum menda, secundum
emendatum.

T. Signat tractatum. C. Caput.

A	Ch. hoc. T. XV. C. V.	tatis suæ Reverendissimæ NB.
	Ad. at. T. XXIII. C. IX.	in licentia Generalis . & in
	Chamidis. clamidis. T. XVIII.	obedientialibus. T. XXV.
	C. IX.	C. IV.
D	e DEUM. Te DEUM. T. I.	Pevotione. devotione.
	C. II.	Pia. piè. T. XXI. C. III.
D	Delinatus. delinitus. T. VIII.	Quardianus. Guardianus.
	C. I.	T. XXV. C. III. & C. IV.
D	Dict. dixi. T. X. C. X.	Reformatio. Reformatæ. T.
E	Extracta. extructa. T. XII.	XV. C. V.
	C. X.	Sanitate. sanitati. T. XXIII.
F	Fortissimæ. fortissima. T. XXIV.	C. X.
H	Uic sepulchro. Hoc sepul-	Saucta. facta. T. XXI. C. III.
	chrum. T. XI. C. X.	Transilens. transiliens. T. XXI.
M	Mostro. nostro. T. XXV.	Tuls. tuis. T. XXV. C. V.
	C. IV.	Unvafa. invafa. T. I. C. II.
O	Opinorum. opinionum. T. IX.	Vortices. vertices. T. XXIII.
	C. V.	C. V.
O	Orientalis. orientales.	Vteria. utero. T. XXI. C. III.
P	Patris suæ Bohemiæ. Paterni-	

**IN ALPHAPETO MENDA
EMENDA.**


T. Tractatus, C. Caput de notat.

F	Ratribus minoribus curlo.	Longini facellum. T. VII.
	ca S. concessa NB. lit. Aa.	Nœmiæ. C. V.
	est XV. sed lege XXV.	Sepulchrum D. N. I. C.
H	elenæ Ecclesia. C. VII.	T. VIII.

97 A 2623



Nur für den Lesesaal



FASCICULUS MYRRHÆ IN CAMPIS PALESTINÆ COLLECTUS:

Seu Sacrorum Locorum ibidem exi-
stentium (prout nunc sunt) brevi me-
thodo descriptio

Henrici Melitauli Decani Lugenensis.

P. F. JOANNE CANTIO SOLIK,
Ord. Min. S. Francisci Reformat. Almae Pro-
vinciae Bohemiæ S. Wenceslai D. & M.
Concionatore.

CUM FACULTATE ORDINARII.

BRUNÆ, Typis Joannis Francisci Svoboda, Anno 1716.

